



Restaurierung
H. D. Lomp
36110 Schlitz



DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
MAJESTATE DIVI-
NA, HUMANÆ CHRISTI NA-
TURÆ, VI HYPOSTATICÆ UNIO-
NIS CUM ΛΟΓΩ COM-
MUNICATA,

PRO
B. GERHARDO,

Contra
M. WENDELINI EXERCITATIONEM LIII.
QUAM

Divinâ adistente gratiâ,
In almâ Pomeranorum Academiâ,
Consensu Venerandæ Facultatis Theologicæ,

PRÆSIDE

DANIELE LAGO,

S. Theol. D. & P. P.

Publicè ventilandam proponit

MICHAEL Segebad/
Stralsund. S. Theol. Studiosus.

Ad diem 6. Martii horis matutinis Anno MDC. LXII.



GRYPHISWALDIÆ,

Typis Matthæi Doischeri Academiae Typographi.

19
Remanens Respon-
dentis ad tertiam
disput. pertinet. Prae-
missam autem est
soli tractatus solij
typographi assu, quo
titulum specialem
tertiam disput. in
generalem mutavit
omnibus tribus
communem, cum
tamen qualibet possit
suo suum peculiarem
habuerit respondentem

DISSERTATIO THEOLOGICA
DE

MAIESTATE DIVINA

IN HUMANAE CHRISTIANAE

TERRAE VI HYPOSTATIS UNICE

QUIE CUM ALIO COM-

UNICATA

R. GERHARDO

OPUS

IN ACADEMIA THEOLOGICA

OPUS

Divinitus in seipso

In sua forma sacrum Ascendit

Coloniae Veneranda Facultate Theologica

TRASITUR

DANIEL F. A. G.

S. Theol. D. & P. P.

Tabulae & tractatus

MICHAEL G. G.

Studium & Theol. studium

Adhuc & Manu h. - ...

GRYPHUS ALBIS

Typis Michaeli Dollheimi Academice Typographe

[Faint handwritten notes in the left margin, mostly illegible due to fading and bleed-through.]



POSITIO I.

MAJESTATEM DIVINAM, NON
TANTUM CHRISTO HOMINI, CONCRETO,
VERUM ETIAM NATURÆ IPSIUS HUMANÆ,
ABSTRACTO, COMMUNICATAM, AFFATIM
LOQUITUR, VEL SOLA VIS VIVIFICATRIX
ASSUMPTÆ CARNIS: AC NIHIL OMNINO EST,
QVOD IN TEMPORE CHRISTUS, ALTERIUS
RESPECTU NATURÆ, QVAM HUMANÆ,
ACCEPERIT.

RESP.
Georgio
Gardesio
Gypsiwal
desi
A. 14. Febr.
A. 1662.

§. 1.

INter Argumenta V. quibus WENDELINI Theologia, realem communicationem Divinæ Majestatis, Humanæ CHRISTI Naturæ factam, oppugnat, hoc in acie collocatur: *Quia Scriptura, quando de CHRISTO loquitur, divina idiomata (in specie & propriè sic dicta) nunquam tribuit humane CHRISTI nature, multò minus humana idiomata Divinæ nature, sed semper personæ. Syllogisticè: Quicquid Scriptura nunquam tribuit humane CHRISTI nature, sed semper personæ, eius particeps humana CHRISTI natura nequaquam evasit. Majestatem Idiomatum divinorum, Scriptura nunquam tribuit humane CHRISTI nature, &c. E. humana CHRISTI natura, Majestatis Idiomatum divinorum particeps nequaquam evasit. Προϋνωσκόμενον Gerb: perinde sibi esse, sive dicatur, CHRISTO secundum humanam naturam factam esse, hanc ροινωσιαν, sive nature humane τῷ λόγῳ unitæ; arripit WENDELINUS, & retorquet. §. 2. Accipio, inquit, quod dant perinde esse, sive aliquid dicatur de CHRISTO secundum humanam naturam, sive de humana natura λόγῳ hypostaticè unita. Cur verò atibi non permittunt hoc nostris, ut humane nature λόγῳ hypostaticè unitæ soli tribuant, quod ipsi tribuunt CHRISTO secundum solam humanam naturam? Veluti cum nostrum aliqui dicunt, solam humanam naturam τῷ λόγῳ unitam, esse passam & mortuam: Cum ta-*

A

men,

men exclusiva illis non excludat personam, sed tantum naturam divinam. Syll: Quaecunque equipollent, eorum uni soli non est tribuenda passio, quin etiam de altero solo concedatur. Humana Christi natura, & Christus secundum naturam humanam, equipollent. E. Resp. nos limitando Majorem: Quaecunque equipollent semper & ubique, eorum uni soli non est tribuenda passio, quin etiam de altero solo concedatur. Sic corrumpit Minor. Quamvis enim interdum natura Christi humana, & Christus secundum naturam humanam, sint ἰσοδυναμῶντα: tamen à particulari statim argumentari ad universale non licet: atque adeò rectè quidem dicitur: Christum esse passum secundum solam naturam humanam; ad indigitandam proprietatem naturæ, cui passio per se competit, duce Scripturâ I. Petr. III, 18. *Christus mortificatus carne, vivificatus autem spiritu*: falsum tamen, solam Christi naturam humanam esse passam, quia actiones & passionis tam suppositum sibi vendicat, Subjectum ut QUOD, quàm natura, Subjectum ut QUO. Excludi verò prorsus, à participatione passionis, personam Christi oportet, si sola humana natura passa perhibeatur; siquidem tunc non tantum contradistinguitur naturæ divinæ, verum etiam τῷ λόγῳ, per se impatibili, & personæ τῷ λόγῳ: renitente Scripturâ Act. II, 15. *Vos Authorem vitæ interfecistis*, & XX, 28. *DEVS redemit suo sanguine Ecclesiam*, I. Cor. II, 8. *DOMINVS GLORIÆ est crucifixus*.

§. 2. Cæterum prima Responsio Gerhardi est: *Wendelinum & sacræ scripturæ Canonis, & venerandæ Antiquitati διαρρήδην docere contrarium, quando in scripturâ Idiomatica divina nunquam tribui humanæ naturæ, sed semper personæ, satis audacter asserit, adeoq; negandam venire argumenti Wendeliniani Minorem, quod disertè Joh. VI, 15. Caro Christi asseratur vivifica. Ubi classicum hoc extat Oraculum, Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς: Ego sum panis vitæ. Conf. v. 51. Ego sum panis vivus, qui de cælo descendit, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et panis, quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita. Et 53. Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: hoc est: πῶς καὶ ἰσχυρῶς beneficiorum spiritualium*

lium & cœlestium, merito Christi partam, remissionem peccatorum, liberationem à morte & diabolo, destructionem inferni, tranquillitatem conscientiae, gaudium Spiritus Sancti, salutem denique ac vitam æternam: de qua porro v. 54. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: Et ego resuscitabo eum in novissimo die.* Atque hac carne sua ζωμιῶ Christus descendit de cœlo, non naturali illo & aspectabili, (in quod raptum ante Salvatorem fuisse, quam munus cœlesti doctrinâ homines induendi, sibi à Patre demandatum, publicè susceperit obeundum, indubitanter affirmat *Faustus Socinus* in Resp. I. ad Andr: Volanum, pag. 40. credibile autem videtur *Smalzio* l. de divinit: filii c. IV. pag. 13. ubi videlicet à baptismo 40. dies totidemq; noctes in deserto consumpsit, ut Patrem ibidem videret, ab eoq; doceretur, ad exemplum *Pauli*, in tertium cœlum abrepti, in quo audivit ἀρρητὰ ῥήματα II. Cor. XII, 2. & *Mosis*, aliquamdiu in monte DEI & Angelorum consortio oblectati, antequam leges II. Tabularum populo promulgaret, quod *Ostorodus* addit Instit. cap. XVI. Siquidem integrum illud dierum quadraginta spatium, quod baptismum proximè excepit, in deserto Salvatorem confecisse, cum bestiis conversatum, & à Satanâ tentatum, Evangelistæ memorant, cum primis *Marcus* I, 13.) sed hyperphysico & Majestatico, quod nec oculis quisquam, nec auribus usurpavit, interprete *Athanasio*, in oratione contra *Sabellii* gregales. Tom: I. fol. 517. *Qui dicit cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum, non pro loco domicilii, cœlum adsortitur Domino, & hominibus terram, sed excellentiam DEI magnificentiamq; oculis subjicit.* Descendit autem, quâ humanitatem, per ταπεινωσιν, seu κένωσιν, phrasi scripturæ, Philipp. II, 7. cum servi formam assumeret, novissimusq; fieret virorum, vermis, non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis, Esa. LIII, 2. Psal. LII, 7. Obedientiâ Patri probatâ usque ad mortem crucis, Philipp. II, 8. Sicuti quoad Deitatem, CHRISTUS descendit de cœlo, per ἐνωρίκωσιν, quâ DEUS est manifestatus in carne, I. Tim. III, 16. Et vita illa æterna, quæ erat apud Patrem, apparuit nobis, I. Joh, I, 2. Unde *Athanasius* loco jamjam citato descensum hunc vocat Ἰνδοσιν, sive inclinationem, ex incorporali Majestate, ad vilitatem corporis, cum seipsum, dederit in corporalem speciem, humani generis amore. Compara

ratur autem Mannæ Israelitico, CHRISTUS Θεάνθρωπος & multi-
 pliciter. I. Ratione *nominis*. Ut manna dicitur panis de cœlo, Pſal.
 LXXVIII, 26. Joh. VI, 31. quia ex nubibus cœli, ministerio Ange-
 lorum, suppeditabatur; quamobrem etiam panis Angelorum audit,
 Pſ. LXXVIII, 27. Ita caro CHRISTI, appellationem *panis de cœlo*
 gerit, non quod cœlitus eam Salvator detulerit, sed quia est Filii DEI
 caro, DOMINI de cœlo, I. Cor. XV, 47. cœlesti majestate glo-
 riaq; plena. II. Ratione *originis*. Quemadmodum enim Israeli-
 tarum castris, præter ipsorum expectationem, supremi Numinis be-
 nignitas Manna impluebat, Exod. XVI, 4. Sic carnis nostræ exu-
 vias Salvator induit, nullo provocatus nostro merito, sed nudo im-
 mensæ inclinationis affectu, nobis ne quidem cogitantibus, juxta va-
 ticinia Prophetarum numero plurima, pondere gravissima Luc. I, 70.
 III. Ratione *mysterii*. Ignari originis, conspecto Manna veteri,
 exclamabant Judæi: Manhu? Quid est hoc? usque dum ex Mo-
 se audirent: *Iste est panis, quem DOMINVS dedit vobis ad vescen-*
dum, Exod. XVI, 15. Simili modo incarnatio Filii DEI, mysterium
 est ὁμολογῆμα ἄνω μέρους, I. Tim. III, 16. rationi, ante divinam reve-
 lationem, prorsus ignotum, imò mera stultitia, I. Cor. I, 18. & II, 10.
 IV. Ratione *pretii*. Figuram præ se ferebat rotundam, colorem
 instar seminis Coriandri album, saporem instar similæ melli permix-
 tæ dulcem, Manna Judæorum, Exod. XVI, 14. 31. Et quantâ perfe-
 ctione gaudet, quantum vivifici succi affert, metu iræ divinæ contri-
 tis & consternatis conscientis, salutare, de Filii DEI incarnatione,
 carnisq; humanæ majestate, dogma, omnes recludens thesaurorum
 divinorum arculas, & quicquid ad salutem requiritur, quovis Amal-
 theæ cornu largius subministrans? I. Cor. I, 19. V. Ratione *no-*
stri officii. Asservare nonnihil de Mannâ in peculiari vase, imponen-
 dum arcæ, in tesseram tanti beneficii, JEHOVAH jusserat, Exod. XVI,
 33. Nec minori curâ & industriâ insigne illud κειμήλιον, & ἡρα-
 κατάθηκην doctrinæ purioris, de personâ & officio CHRISTI, ad-
 versus quascunque corruptelas, tueri nos decet. Ut etiam Manna
 Judæorum colligebatur sex dierum intervallo, usque ad Sabbathum
 Mosaicum, Exod. XVI, 29. Sic salutaris de CHRISTO doctrina
 Ecclesiam personabit, usque ad Sabbathum æternæ gloriæ, quod
 DEUM nobis conspiciendum exhibebit à facie ad faciem, I. Corint.
 XIII, 12.



XIII, 12. VI. Ratione oppositi. Ut enim nauseabant ad Manna suum Israelitæ, canino carniū desiderio, non temperantes sibi à conviciis, quibus Manna proscindebant, panem vocantes levisimum Num. XI. & XXI. ita contemptui à plurimis habetur, & plusquam dente Theonino arroditur, quicquid de CHRISTO, & Divinâ humanæ illius naturæ Majestate, Catholici retinent Orthodoxias, teste hac ipsa exercitatione *Wendelini*.

§. 3. Instat *Wendelinus* §. III. *Vitam dare mundo, non esse idioma DEI, sed ἀποτέλεσμα.* Syll. *Nullum ἀποτέλεσμα est Idioma DEI. Vivificatio mundi, est ἀποτέλεσμα.* E. *Vivificatio mundi, inon est idioma DEI,* & consequenter hujus communicatio, non statim infert communicationem Divinæ Majestatis. Resp. per distinct. inter vivificationem (hyperphysicam) ἀπλῶς spectatam, & σχετικῶς, quatenus per assumptam à λόγῳ carnem exercetur. Valet Minor de vivificatione, modo posteriori consideratâ. Et sic concedimus totum. Secus autem comparatum cum vivificatione, si absolutè spectetur, non relatâ simul cogitatione ad assumptam & Deificatam carnem, in qua, cum qua, et per quam peragitur. Hac enim ratione illam propriam omnino manere Divinitatis, eiq; soli competere per se, testem laudamus omni exceptione majorem *Johannem*, in limine statim Evangelii sui vitam spirituales, sitam in luce divinæ agnitionis, tribuentem λόγῳ, qui erat ἐν ἀρχῇ, & per quem omnia facta sunt, ut & *Paulum* II. Cor. IV, 6. Eidem Creatori κτίσιν & ἀνάκτισιν, sive tam lucis spiritualis, quàm naturalis productionem vindicantem, & utramque divinæ prorsus virtuti ac efficaciz transcribentem. *DEVS, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis DEI, in facie CHRISTI JESU, quem thesaurum in vasis fictilibus gestamus, ut sublimitas virtutis sit DEI, & non ex nobis.* Ac proinde vivificatio hæc, de carne CHRISTI prædicari nequit, nisi κατ' ἄλλο, τῆς ἐνώσεως οἰκονομίας, ut *Damascenus* loquitur, nec sine præviâ communicatione virtutis, vel potentiz vivificandi; cum ubique actus secundus præsupponat primum. Non enim vivificat λόγῳ per carnem, tanquam per canalem omnis συνεργείας expertem, ut *Lamb: Daneus* & *Gualth: Homilia* 53. autumant: Sed tum in acquisitione

sitione vitæ spiritualis, tum in acquisitæ applicatione ac collatione, carnem, ceu efficax sibiq; intimâ *ἑνωσὶς* unitum Organon, adhibet, modo nobis incomprehensibili, utpote *quem nec mente intelligimus, nec sermone eloqui possumus, sed silentio & firmâ fide suscipimus*, fatente Cyrillo libro VI. in Johannem cap. XXIV. Qui non uno loco vivificationem carnis CHRISTI, ab unione hypostatica cum *λόγῳ*, deducit, eandemq; prorsus vivificandi *δύναμιν*, in utraque naturâ, agnoscit, utut non *ὡσπερ ἕως*, sed in unâ, cujus respectu ipsa *vita*, Joh. XIV, 6. Philipp. I, 21. Et *Author vitæ*, Act. III, 15. Christus nuncupatur, *πρώτως*; in alterâ, ex cujus parte factus in spiritum vivificantem, I. Cor. XV, 45. *δευτέρως*: in unâ *καὶ φύσιν*, in alterâ *καὶ χάρειν*. Ita enim in libro I. cap. 15. *Indecens omnino esset, si ignis quidem qualitatem suam conjunctæ sibi materiæ immittere possit, ac eo modo materiam in se transmutare: Verbum autem DEI PROPRIUM sibi NATVRALĒq; bonum, id est, VITAM conjunctæ sibi carni non posset infundere. Et lib. VI. cap. XIV. Vita SECUNDVM NATVRAM ille est, qui ex vivo Patre genitus est: Sed non minus corpus quoque suum vivificat, conjunctum enim ineffabiliter est Filio DEI, à quo omnia vivificantur. Rursus cap. XXIII. Non imperitè omnino vivificam carnem esse negatis: Nam si sola intelligitur, nihil prorsus vivificare potest, quippe quæ vivificante indigeat, cum verò incarnationis mysterium laudabili curâ scrutati fueritis, & habitantem in carne cognoveritis, quamvis nihil penitus caro PER SE IPSAM possit, vivificam tamen esse factam crederis. Quamvis ergo natura carnis, VT caro est, vivificare nequeat; facit tamen hoc, QVA totam verbi operationem suscepit. Et cap. XXXVII. Virtutem incarnati verbi corpus retinet, plenum potestare illius, quo universa & vivunt, & sunt. Imò in adstruendâ hac veritate Catholicâ totus zelo flagrat, ut ad anathematum etiam fulmina progrediatur. Secundus quippe, adversus Nestorium ejusq; asseclas, anathematismus est: Si quis carnem Domini non confitetur esse vivificam, & ipsius verbi, quod ex DEO Patre est, propriam: sed tanquam alterius cujuscpiam præter ipsum, secundum dignitatem quidem, aut tanquam qui divinam inhabitationem duntaxat sit adeptus, cum ipso conjuncti: Et non magis vivificam, sicut diximus, PROPTEREA quod propria facta est verbi, quod omnia vivificare potest,*

est, anathema sit. Quo, tanquam telo catapultâ misso, tantum incusit terrorem Theodoro, Cyrilli antehac & Concilii Ephesini, instinctu Johannis Antiocheni, Antagonistæ, ut mox veteris militiæ castra deseruerit, & Catholicorum cohorti sese aggregaverit. Conf. Lib. IV. cap. XII. XV. XVII. XVIII. XIX. XXII. & XXIV. Liber prior & post: ad regin: de recta fide. Epistola X. Liber de rect: fide ad Theodos: Lib: IX. in Johannem Cap. XXX. Epist: alt. Synod: ad Nestor: Consentit quoque Theophylactus in caput V. Lucæ, & Damascenus lib. 3. de Orthodoxa fide cap. 17. *Cero Christi*, inquires, **PER SE quidem mortalis est: PROPTER hypostaticam unionem cum verbo est vivifica:** ac refutans eâdem operâ vulgarem Calvinistarum opinionem, propriam quidem DEI esse, sed in carnem Christi nullatenus cadere, vim vivificatricem, utpote quæ non proficit quicquam. Quam cum justâ severitate detestati fuissent Theologi Württembergenses, in promotione examinis pag. 160. & seqq: Heidelbergenses in der Antwort pag. 117. 118. protestando adversus injuriam Zwinglio & Zwinglianis illatam, per imputationem dogmatis; **Das Fleisch Christi sey kein nütze Ins Gemein Dahin / und ohn allen Unterscheid /** nil effectum dederunt amplius, quam ut criminis falsi, Nostratibus intentati, reatum, additamento suo verborum, **Ins Gemein / und ohn allen Unterscheid;** incurrent ipsi: adeoq; hic constrictus & confusus in pice hæserit Author anonymus, der zwölf unterschiedlichen Stegezeichen. Videatur scriptum Theol. Württemberg: cui titulus, **Ein duses Calvinischer Scheinzeichen.** pag. 78. 88. 89. Audiatur insuper Oecolampadius lib: de verb: coenæ: *Spiritus & Deitatis operatio est vivificatio, & NON CARNIS SEV HVMANITATIS, cujus proprietas erat debilitas.*

§. 4. Resp. B. Gerh: II. *Se concedere sapius in sacris literis persona dici data divina αὐχίματα, sed cum in persona sit ἄλλο καὶ ἄλλο, hoc est, distincta natura, ex templò quæri, juxta quam naturam sint data. Vbi disertè respondendum, juxta humanam naturam, ex regula antiquitatis: Quæcunque Scriptura dicit Christo esse data in tempore, illa non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem ei data intelliguntur.* Inst: Wendel: §. 4. I. *esse in CHRISTO ἄλλο καὶ ἄλλο, ego vicissim concedo, quia non minus hoc est evidens, quam*

ἣν ἀμ̄ illud, ad hoc verò ἄλλο καὶ ἄλλο, quatenus naturarum notat
 distinctionem, accommodari debere omnia, quæ de Christo dicuntur,
 nego. Syll: Quicunque omnia quæ de CHRISTO dicuntur, ad
 τὸ ἄλλο καὶ ἄλλο accommodant, malè agunt. Zenenses omnia quæ
 de CHRISTO dicuntur, ad τὸ ἄλλο καὶ ἄλλο accommodant. E. malè
 agunt. Resp, negando minorem: Suppetere fanè prædicata, quæ
 non saltem secundum naturam alteram de Christo dicantur, verum
 etiam quæ de ipso valeant secundum naturam utramque, veluti cum
 noster appellatur Mediator, Redemptor, Rex, Sacerdos, ultroneâ
 largimur voluntate. Referre huc autem Propositiones, quæ Chri-
 sto aliquid datum esse in tempore, per βελτίωσιν, affirmant, est
 μέγα λίαν αἴτημα. Tales ut dextrè intelligantur & explicentur,
 naturarum discrimen nequaquam negligendum est, quin potius
 τὸ ἄλλο καὶ ἄλλο quàm accuratissimè observandum, & solertissimè
 inquirendum, quænam illa natura sit, respectu cuius illud ipsum
 Christus acceperit. Quo facto, mox firmissimè conficietur, cum
 naturæ Divinæ nil siverit in tempore addi, æterna omnium possessio,
 de solâ naturâ humanâ, traditionem istam & acceptionem verificari.

§. 5. Instant. II. Phrases distinctivas secundum hominem, se-
 cundum humanitatem, secundum quod Filius hominis est, propter hu-
 manitatem, quatenus homo est, & quæ similes apud Patres occurrunt,
 Cyrillum, Athanasium, Epiphanium &c. non humanam naturam di-
 stinctam à divinâ naturâ, sed λόγον, seu Filium Dei ἕνωσιν, seu per-
 sonam diversimodè consideratam, designare. Syll. Quæcunque
 referenda sunt ad personam CHRISTI diversimodè consideratam,
 illa sinistrè accommodantur ad naturam illius humanam. Distin-
 ctivæ phrasæ Patrum, secundum hominem, secundum humanitatem,
 referendæ sunt ad Personam CHRISTI diversimodè consi-
 deratam: E. Minorem probat partim testimonio Lombardi, partim
 ratione: quia si aliter quis interpretetur Patres, dicendum foret, hu-
 manam Christi naturam esse spiritum, secundam Trinitatis personam,
 æternam, immensam, simpliciter impatibilem, immortalem, &c.
 Resp. limitando Maj: Quæcunque referenda sunt ad personam
 Christi diversimodè consideratam, & quidem respectu Deitatis, illa
 sinistrè accommodantur ad naturam illius humanam. Sic fallit Mi-
 nor, Deitatem spectasse in personâ Salvatoris, non humanitatem, par-

particulis suis distinctivis, Patres, tunc evictum dabit *Wendel.* ubi
 probaverit, aliud significare humanitatem, aliud naturam humanam;
 vel *Patres* fraudulenter aliter sensisse, aliter locutos esse, more Cal-
 vinianis cum hæreticis veteribus communi. Adhæc ponuntur qui-
 dem interdum concreta naturarum, homo, filius hominis, item DEUS,
 filius DEI, pro personâ, sed non ubique. Non certè in propositio-
 nibus personalibus, cum concretum unius naturæ, prædicatur de
 concreto alterius: Matth. XVI, 16. *Filius hominis, est Filius DEI vi-*
ventis. Luc. I, 25. *Sanctum è Maria natum, est Filius Altissimi.* Rom.
 IX, 5. *Christus è patribus natus secundum carnem, est DEVS bene-*
dictus in secula: Neque cum de Christo affirmatur quod sit DEUS,
 aut homo: neque cum dicitur Christus θεάνθρωπος, vel DEUS
 & Homo: neque cum Filius DEI, contradistinguitur filio hominis,
 ut in illo *August.* quod *Wendelinus* ipse adducit: *Quicquid conve-*
nit Filio DEI per naturam, convenit filio hominis per gratiam; vel
Athanasii isto, oratione secundâ & quartâ contra Arrianos: *Vt ho-*
mo accipere dicitur, quod ut Deus semper habebat: vel hoc *Chryso-*
stomi: *quatenus Deus est, æternum habet thronum, sed quod ut Deus*
habebat, accepit ut homo. Hæc si Calvinianis, quorum vel in nive
 atramentum quærentium perfrictam frontem novimus, nondum
 sufficient, audiant Patres ipsos, optimos verborum suorum dubio
 procul interpretes. Interpretantur hi autem particulas distincti-
 vas de Christo, quâ humanitatem, secundum naturam humanam,
 vel de Christo homine, eo pacto, ut disertè etiam abstracto naturæ
 humanæ, carni, vel corpori, licet non in abstracto, seu extra unionem
 cum λόγῳ hypostaticam, Majestatem, gloriamq; Divinam fuisse
 comunicatam, edoceant. Ut in pauca contraham, quæ variis lo-
 cis reperiuntur, quasi ex uberi vindemiâ, unum atque alterum decer-
 pturus botrum, prodeat è seculo secundo *Justinus* in expositione fi-
 dei: *Corpus, inquit, manet Corpus: non enim est Deus, particeps*
autem est factum Divinæ dignitatis. E 3. *Origenes* de principiis
 lib. II. cap. 6. *Ad omnes sanctos calor aliquis verbi Dei putandus est*
pervenisse: In hac autem animâ ipse ignis divinus substantialiter re-
quievisse credendus est. E 4. *Athanasius* in Epist. ad Epict. *Ipsè so-*
lus Emanuel appellatur, veluti corpore dignitatis pleno, ac proinde
Deificato. *Hilarius* lib. 9. de Trinitate: *Vt ita homo Jesus Christus*

B

mane-

maneret in gloria Dei Patris, si in verbi gloriam caro esset unita, rediretque tunc in naturæ paternæ etiam secundum hominem unitatem, Verbum caro factum, cum gloriam verbi assumpta caro tenuisset. Gregorius Nysenus: Deus λόγος nunquam per communionem, quæ est ad corpus & animam, alteratur, neque particeps est eorum imperfectionis, sed tradidit eis (corpori & animæ) Divinitatis suæ virtutem. Basilius in sanctam nativitatem: Quomodo Deitas est in carne? Quemadmodum ignis est in ferro: ἢ μεταβαλὼς, ἀλλὰ μετεδολὼς. Non enim excurret ignis ad ferrum, sed manens in loco, distribuit ipsi propriam facultatem. Sicut ignis ferri proprietates non transumit: sic sanè etiam humana Domini caro ipsa particeps facta est Deitatis, non suam propriam tradidit imbecillitatem. E 5. Cyrillus: Natura nostra à Filio Dei assumpta, mensuram suam excessit, & in conditionem assumptis eam per gratiam transata est. Theodoretus in capite de Antichristo: Verbum incarnatum non particularem gratiam contulit assumptæ naturæ, sed totam plenitudinem divinitatis complacuit in ipsa habitare. E 7. Gregorius Magnus I. Reg. I. Qui infirma humanæ naturæ in celsitudinem divinitatis assumpsisse cognoscitur, super aquas virtute propriâ ferebatur. Ex 8. Damascenus lib. 3. c. 3. Quæ humana sunt λόγος sibi attribuit, peculiariâque facit. Nam ipsius sunt ea, quæ sanctæ ipsius carnis sunt, & tradit carni suæ καὶ τὸν τῆς ἀνιδόσεως τρόπον. Item: τῶν οἰκείων ἀρχημάτων ἢ θεότης τῷ σώματι μεταδίδωσιν, αὐτῇ δὲ τῆς σαρκὸς διαμένει ἀμέτοχος. Ubi per τὰ οἰκεία ἀρχήματα Divinitatis intelligere χάρισματᾶ, seu habituales gratias, dona finita & creata, cum Wendelino, est habitus & accidentia affingere DEO, & summam simplicitatem ac immensitatem Divinæ essentia penitus evertere. Annon et clarè satis τὸ ἄλλο καὶ ἄλλο, in persona Christi, indigitant, concilio affragiis Concilii Chalcedonensis approbata, verba Leonis primi: Quamvis in Domino Jesu Christo, Deo & homine, una persona sit, aliud tamen est, unde in utroque communis est contumelia, aliud nunc communis est gloria. Et Gregorii Nazianzeni in sacrum Pascha pag 254. ἐν ὅκ δύο τῶν ἐναντίων, σαρκὸς καὶ πνεύματος, ὧν τὸ μὲν ἐθεώσε, τὸ δ' ἐθεώθη. Item: Τέλειον δὲ (περὶ βαλὼν) ἢ ἀπὸ τῆς θεότητος μόνον, ἢς ἔδειν τελειότερον, ἀλλὰ καὶ

ἀπὸ

Ἄρα τὴν πρὸς ληψὶν τὴν χειρῶν εἶσι θεότητι, καὶ γενομένην ὅπερ τὸ
 χεῖρα, καὶ θάρρῳ λέγειν ὁμόθρον; Identitas personæ Christi, si
 distinctam ἔ' ἄλλῃ καὶ ἄλλῃ prohiberet considerationem, quando
 de datis in tempore sermo est, vel datorum illorum explicationem,
 de naturâ humanâ, damnandus fuisset à Concilio Chalcedonenſi
 Leo, hæc profatus Epist. 83. ad Monach. palæst: *Quamvis ergo unus
 sit Dominus Jesus Christus, & veræ Deitatis veræq; humanitatis in
 ipſo una prorsus eademq; persona sit: neque hujus unitioſis soliditas
 ullâ possit divisione sejungi: exaltationem tamen, quâ illum exalta-
 vit Deus, & donavit illi nomen, quod super omne nomen excellit, ad
 eam intelligimus pertinere formam, quæ ditanda erat tantæ glorifi-
 cationis augmento.* Quàm inepta adhæc nasceretur ἀνάλυσις ora-
 culi Apocal. V. *Agnus stans tanquam occisus, dignus est accipere
 virtutem:* Christus secundum humanam naturam occisus, secun-
 dum divinam accepit virtutem? Collusionem Calvinianorum
 cum Pontificiis, contra Orthodoxiam nostram, in Articulo de Per-
 sonâ Christi, imitatione vulpecularum Simsonis, capitibus quidem
 divulsarum, sed colligatarum caudis, luculentius adhuc suffragio
 Lombardi, quod Wendelinus jactat, comprobatur disputatio Jesuita-
 rum Ingolſtadienſiū habita anno 1564 & à Witebergensibus Crypto-
 Calvinianis prælo iterum Anno 71. præviâ commendatione Recto-
 ris, ut ἰσοτύπωσιν ὑγκαινόνητων λόγων S. Theologiæ studio dedita
 Juventus inde disceret, subjecta. Hujus enim Thesis est explicato-
 ria XXI. *quod in naturis ne Grammatica quidem, aut verbalis fieri
 possit ἰδιωμάτων κωνία:* & Thesis confutatoria XXXIV. *quod
 Idiomata divina, neque voce, neque re ipsa, naturæ humanæ possint
 adscribi, sicut nec humana divinæ.* Haussit hinc etiam suum, de per-
 sonâ Christi, dogma, personatus ille Palatinus Kednædon pag. 19. iti-
 dem scribens, *quod in naturis, ne verbalis quidem essentialium pro-
 prietatum communicatio, statui possit.* Haussit Beza colloquii Mom-
 pelgard. pag. 205. *Communicationem, cujus hic fit mentio, quâ di-
 citur humanitas suo quodam modo ubique & omnipotens, ne verbo-
 lem quidem esse dicimus: sed tam falsam esse existimamus, quàm fal-
 sum est, unione hypostaticâ humanitatem evasisse Deitatem:* Cum
 veteres Calviniani communicationem Idiomatum verbalem, perti-
 nentem ad Tropum sermonis Rhetoricum, nempe vel Synecdochen,
 B 2 quæ

quæ arrisit *Calvino*, vel ἀλλοίωσι, quâ sibi delicias fecit *Zyvinglius*, quoad naturas concesserint. Videatur *Admonitio Neostad*: de libro *Concordiæ* pag. 68. & 70. *Orthodoxus consensus* pag. 297. *Daneus* contra *Chemnitium* pag. 295. Cur verò sequetur è doctrina *Lutherana*, de reali communicatione divinorum Idiomatum, æquè dicendum fore, humanam Christi naturam esse spiritum, & secundam Trinitatis personam, æternam, immensam, &c. Numquid pariter est secunda persona Trinitatis, vel spiritus, divinum idioma, in tempore Christo datum, ut Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentiâ?

§. 8. *Inst: Wend. III. §. 5.* Opposuerunt autem regulas suas *Patres partim Arrianis, partim Nestorianis, partim Eutychianis.* Nihil horum solidè potuissent probare, si humane Christi natura æternam ἑὴν φύσιν ἰδέσθαι, naturam & idiomata divina, sensu *Lutherano*, communicata esse, concessissent. Deitatem constanter negasset *Arius*, si audivisset, & humane nature idiomata atque opera divina posse competere, ut nihilominus ipse DEUS non sit. Urisset *Nestorius* dualitatem personarum, si humane quoque nature communicatam esse personam intellexisset. Prasertim si ab *Hæsis* eorumq; assectis duos constitui omnipotentes, duos omnipræsentes, duos omniscios, duos iudices è *Suevis* intellexisset. Defendisset *Eutyches* nature unitatem, & iudicasset satius esse duas naturas in unam confundi, quàm duo infinita inveni. *Syll.* Quæcumque sententia favet partim *Arianis, partim Nestorianis, partim Eutychianis*, ea non est probanda. Sententia *Lutheranorum* de eommunicatione Divinorum idiomatum, favet partim *Arianis, partim Nestorian: partim Eutychian: & probanda non est.* Resp. Negando minorem, cujus quod attinet confirmationem, nihil præsidii de nobis promittere sibi possunt *Ariani*, quia idè communicata humanitati Salvatoris idiomata divina credimus, per unionis gratiam, quoniam unitæ Deitati competunt per naturam: adeoq; hæc illi soli ut idiomata relinquimus. Nil *Nestoriani*, quia communicatam quidem asserimus personam nature, sed non personæ alteri; nec duos fingimus omnipræsentes, duos omniscios, ut calumniatur *Wend.* Sed unius
ejus-

eiusdemq; omnipræsentia, ac omniscientia duplicem competentiam & attributionem, alteram mediatam, alteram immediatam confitemur. Nil Eutychniani, quia finitam, etiam post unionem & exaltationem, carnem Christi statuimus.

§. 9. Inst. Wend. IV. *Eadem regula, etiam secundum Lutheranam παρερμηνείαν, universaliter vera non est. Humana natura λόγῳ data est in tempore: Pater enim aptavit filio corpus, Heb. X, 5. anne verò data est natura humana τῷ λόγῳ secundum naturam humanam? Deinde datio illa, quæ in tempore missus est Filius ad obeundum officium mediatorium, quæ, de æterni Patris consilio, peculiari ratione in statu humiliationis & exaltationis administrandum erat hoc officium, anne solam spectavit naturam humanam? Syll. Cuiusque fuit data natura humana, illi aliquid fuit datum in tempore. Τῷ λόγῳ secundum Deitatem spectato, fuit data natura humana. E. Item: Missio Filii DEI ad obeundum officium mediatorium, spectat utramque Christi naturam. Missio Filii DEI ad obeundum officium mediatorium, est datio in tempore facta. E. quædam datio in tempore facta, spectat utramque CHRISTI naturam.*
Resp. ad Syllogis. priorem per infic. min: Humana est natura, cuius constitutionem corpus ingreditur; neque tamen hujus respectu τῷ λόγῳ datum erit? Assumpsit quidem corpus in hypostasin suam ὁ λόγος, idq; in tempore; at quicquid inde datum fuit, non divinitati accessit, sed humanitati. Assumentis est dare, assumpti accipere. Divinitati τῷ λόγῳ qui vel tantillum fuisse datum in tempore affirmat, immutabilitatem ejus negat. Confirmant validissimè sententiam nostram, & παρερμηνείαν Wend. convellunt, quæ verba allegata ex Hebr. X, 5. proximè antecedunt: *Ideò ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti: Corpus autem aptasti mihi.* Ingressus quippe Christus fuit mundum, & quidem ad suscipiendam, nostro loco & bono, servitutum durissimam, non quæ Deitatem, quæ ab orbe condito cælum & terram semper implevit; sed quæ humanitatem, tum ingressus hujus, tum servitutis destinatae capacem. In fonte nimirum Psal. XL. è quo oraculum hoc citatur,

ita legimus: **וְהָיָה כִּי יִפְּדֶיךָ יְיָ מִיַּד כָּל־אֲדָמָה** perfodisti mihi aures, hoc est, in-
star servi nunquam manu mittendi, aurium perfosione me notasti,
ritu Judæis olim perquam familiari. Exod. XXI, 6. Quæ verba
LXX. Interpretes, quos Apostolus sequitur, ita reddiderunt:
σῶμα δὲ κατήρησάς μοι: Corpus verò perfecisti, seu aptasti mihi:
Sensu tamen cum Davide eodem. Quemadmodum enim illis, qui
servitute exire volebant, aures perfodiebantur: Ita Christus, ut
nos tristissimæ peccati, mortis, & condemnationis servituti eximeret,
servitutum immeritam subire paratus, **DEUM** sibi corpus, in quo
servire posset, aptasse ait.

§. 10. In Post: Distingvimus inter dationem *terminatam in*
CHRISTO, & *factam nobis*. De hac minorem concedimus, simulq;
argumentum totum. Nobis missus, nobis etiam datus fuit,
θεὸς ἀνθρώπων & totus. Esai. IX, 6. *Parvulus natus est nobis. & filius datus*
est nobis. Johan: III, 6. *Sic DEVS dilexit mundum, ut filium suum uni-*
genitum daret. Rom VIII, 32. *DEVS proprio filio non pepercit, sed pro*
nobis omnibus tradidit illum. Gal: IV, 4. *Vbi venit plenitudo temporis,*
Misit DEVS filium suum factum ex muliere, ut eos qui sub Lege erant re-
dimeret. Quid verò est, quod hinc vicissim totum **CHRISTI**, seu u-
traq; ejus natura, vel à nobis, vel aliunde acceperit? Datum quoq;
fuit officium Mediatorium, in tempore, soli humanitati Salvatoris;
Deitati vero nisi ab æterno id ipsum foret collatum, quî potuissemus
in **CHRISTO** eligi ab æterno, seu *πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου*? Eph.
I. Electi enim non aliter in **CHRISTO** sumus, quam in Mediatore no-
stro, omnigenam benedictionem spiritualem nobis acquisituro. Præ-
terea prodit ἐν τῷ σφ. hac *Wend.* ingentem ignorantiam, & palàm o-
stendit se minimè assecutum fuisse genuinum sensum regulæ Antiqui-
tatis, de datis **CHRISTO** in tempore, secundum naturam humanam
intelligendis. Loqui enim hanc de datis per glorificationem, te-
statur *Theodor. dial. sec:* ubi plenius sic profertur: ὅσα λέγει ἡ
γραφή ὅτι ἔλαβεν υἱὸς, ΚΑΙ ΕΔΟΞΑΣΘΗ, διὰ τὴν ἀνθρωπότητά αὐ-
τῆς λέγει, & τὴν θεότητα.

§. 11. Resp. Beati Gerh. III. *Magnam esse imposturam ho-*
minum Calvinianorum, qui in personâ factam esse communicationem
idiomatum scribunt, quia propositionem: Homo CHRISTVS, est o-
mnipotens & omnipræsens; ita resolvunt: Deitas non separata, sed
per se-

personaliter unita manens humanitati, est ubiq; praesens. Neostad:
Admonit: pag: 23. Instat Wendelinus §. 6. transcripta ex admoniti-
one, ad quam digitum Gerhardus intendit, integrâ verborum serie:
Candidus lector videt, opinor, animadversorum imposturam, quae
hoc admonitioni impingit, quasi neget, hominem verè ac realiter
esse omnipresentem, quia negat eum esse secundum humanam
naturam omnipresentem. Atq; eadem ratione negari quod
posset DEUM verè esse passum & mortuum, quia secundum Dei-
tatem non est passus & mortuus. Syll: Si recte DEUS dicatur
passus, & si passio non competat naturae divinae, utiq; citra impostu-
ram homo quoq; dicetur omnipotens & omnipraesens, licet omni-
potentia & omnipraesentia non cadat in humanitatem. At ve-
rum prius. E. & posterius. Sed aperit inconsequentiam majoris
diversima conditio naturae divinae & humanae, de qua Gerb. pergit.
Responsione quarta: Scripturam humana Idiomata divina natu-
ra non tribuere, quia haec est ἀλλοίωσις & ἀμετέκλησις, ut per
unionem nec βελτιώσται, nec ὑψωθῆναι possit: Humanam autem
naturam potuisse perfici, exaltari, & divinis ἐξοχαῖς ditari.
Itaq; licet verè passio tribuatur DEO in concreto, ad abstractum
tamen, naturam divinam, illam transferre religio nobis esse debet.
Passus DEUS est, in unitate personae, non in proprietate naturae. In-
deq; Augustini pronunciatum in accuratius cap: VI. Medit: Deitas
quae meam induit naturam, crucis ascendit patibulum, & in assumptâ
carne triste tulit supplicium: Vel Vigilii illud: Divinitas clavis con-
fixa est sed ipsa penetrari non potuit, siquidem vulnere locum caro
patefacta aperuit (ad exprimendam intimam illam & realissimam
οἰκείωσιν, quâ omnia Christo accommodantur, ratione personae,
quae humanitati conveniunt, contra Nestorianos) nostrum non fa-
cimus. Eandem vero imposturam veritati caelesti struit Zvingliana
ἀλλοίωσις, quando in propositione hac: DEUS est passus; loco
DEI, concipiendam offert solam humanitatem; Atq; cum in altera:
Homo est omnipotens; Vel: Caro est vivifica; loco subjecti, cogi-
tare jubet solam divinitatem. Est enim ἀλλοίωσις, desultus &
transitus ille, aut si mavis permutatio quae de alterâ in eam naturâ
loquen-

loquentes, alterius vocibus utimur. *Vt cum CHRISTVS ait, Caro mea verè est cibus: Caro propriè est humanæ in illo naturæ, attamen per commutationem hoc loco pro divina ponitur natura, definiente* Zwinglio Tom. 2. Oper. p. 350. De quâ ἀλλοίωσις, à quâ admon: Ncostad: parum recedit, verissimè rescripsit Heroico spiritu Lutherus Tom. 3. Jenens. fol. 454. Hüte dich / sage ich / für der Allceosi / sie ist des Teufels Larven / dann sie richtet zu lest einen solchen Christam zu / nach dem ich nicht gerne wolte ein Christe seyn / nemlich daß Christus hinfort nicht mehr sey noch thue mit seinem leiden und leben / denn ein ander schlechter Heiliger / dann wann ich das gläube / daß allein die Menschliche Natur für mich gelitten hat / so ist mir der Christus ein schlechter Heyland / so bedarff er wol selbst eines Heylandes. Et Württembergenses im Duzer der Calvinischer Scheinzeichen pag. 240. Wer diesen offenbaren Worten (Zwinglii) nicht glauben wil / der wird auch nicht glauben / wenn gleich esliche von den Todten wieder auferstünden.

§. 12. Inst. Wend. §. 7. *Ita ἑλλησάου & ὑψωθῆναι humanam posse naturam, ut citra sui abolitionem sit omnipotens & omnipræsens, per communicationem divinæ omnipotentia & omnipræsentiæ, rotundè negamus, & tam hoc alienum esse ab humana natura dicimus, quàm à divina, finitam essentia & potentia esse. Sunt enim propria cum naturis suis subjectis tam arctè & ἀχωρίσως connexa, tam profundè iis implicata, ut sub eorum negatione vel oppositis citra contradictionem non possint concipi. Syll. Nullum proprium naturæ humanæ est ab illa separabile. Finitudo potentia & præsentia est proprium naturæ humanæ. E. non est ab illa separabilis. Resp. Ἐκ τῶς χορῆς ὀρχεῖσθαι Wend: Siquidem juxta nos accessio Idiomatum divinorum proprietates humanas non tollit, sed extollit; non interficit, sed perficit. Acceserunt enim Idiomata divina humanitati eum in modum, ut facta sint non propria naturæ humanæ, sed κεινωγητὰ, videlicet vel ad possessionem solam, vel ad denominationem quoque & usurpationem. Si superaddi proprietatibus humanis, salvis manentibus & illæsis, proprium nullum divinum potuerit, quî communicavit λόγῳ & humanitati suæ suam hypostasin, sibi certè propriam, planeq; divinam?*

Posi-

POSITIO II.

ETSI NON SIT DEUS HUMANA
CHRISTI NATURA, EST TAMEN DEIFI-
CATA, SIVE, OB INTIMAM CUM ΛΟΓΩ UNIO-
NEM HYPOSTATICAM, DEITATIS CONSOR-
TIUM INGRESSA; RECTEQ. CHRISTUM
SECUNDUM NATUR. HUM. DEUM ΥΠΟΣΤΑ-
ΤΙΚΩΣ VENERAMUR.

Respond.
Urbano Lebmanno
Colberga-Pomerano
d. 27. Februar.
1662.

§. 1.

ARgumentum Wendel. secundum est: Cui Idiomata divi-
na sunt communicata, is est DEVS. Atqui humana Christi
natura non est Deus. E. Resp. I. Beatus Gerhardus negan-
do majorem. Nec obscura ratio, siquidem fundari etiam potest
communicatio divinorum idiomatum, ut virtutis θαυματουργικῆς,
in hypostaticā cum DEO unione, Act. X, 38. **JESVS** à Nazareth
pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppresos à Diabolo, quo-
niam Deus erat cum illo. Instantiæ Wendelini §. 8. Propositio ha-
tenus ut & ejus probatio, inter Theologos Christianos & Arianos at-
que Photinianos, commune fuit principium, & hypothesis utrinque
concessa, jam in gratiam ubiquitatis & oralis manducationis, in du-
bium vocatur. Quæ non Christianorum Scholæ Deitatem Filii DEI
asseruerunt, ex idiomatibus divinis, tanquam à Deitate inseparabili-
bus? Jam parata fuit à Gerharo solutio, Responsione secundā: non
eodem planè modo humanitatem Christi dici aut intelligi omnipoten-
tem esse, quo Deitas dicitur omnipotens, hanc enim denominari ita
καθ' αὐτὸ, adeoque ἰσχωδῶς, illam κατ' ἄλλο, seu ὑποστατικῶς.
Replicat Wendelinus §. 12. Folia sunt ficulnea, præstigia verborum,
& principii petitiones: humana Christi natura non est omnipotens,
non est omnipræsens κατ' αὐτὸ &c. Deos facit duos, qui naturas
facit omnipotentes & omnipræsentes duas: DEUM unum κατ'
αὐτὸ, καὶ φύσιν, κατ' ἰσῆαν, alterum κατ' ἄλλο, καὶ συνδύασιν,
καθ' ὑπόστασιν. Syll. Quicumque duas naturas faciunt o-
mnipotentes & omnipræsentes, unam κατ' αὐτὸ, alteram κατ'
ἄλλο, illi duos comminiscuntur Deos, alterum κατ' αὐτὸ talem,

C. alter.

alterum καὶ ἄλλο. Lutherani faciunt prius. E. de his quoque
 verum posterius. At quonam fulcro nititur major? Utrumque
 scriptura docet, & unum esse Deum, (Summum & Independentem)
 Deut. VI, 4. I. Cor. VIII, 6. qui concipi cum competentia omnipo-
 tentiae per participationem, absque manifestissimâ contradictione,
 nequit: Et duas tamen in Christo naturas, divinam & humanam; ;
 illam omnipotentem καὶ αὐτὴ, hanc καὶ ἄλλο. Utrumque igitur,
 eâdem πληροφορία fidei, à nobis amplectendum. Ac omnipoten-
 tiam quidem divinam, humanæ Christi naturæ communicatam, pau-
 lo ante probavimus, è vivificatione mysticâ, quam à carne suâ expe-
 ctare Salvator jubet, Joh. VI. Addimus nunc justificationem, &
 purgationem peccatorum, actum æquè divinum, Esai: XLIII, 25.
 Ego (Dominus creans te Jacob, & formans te Israel. v. 1. Dominus
 DEVS tuus sanctus Israel. v. 3. absque quo non est Salvator. v. 11.
 qui dedit in mari viam, & in aquis fortibus semitam. v. 16. qui edu-
 kit quadrigam & equum) sum ipse, qui deleo iniquitates tuas pro-
 pter me. Et cap. XLV, v. 24, In Domino meæ justitiæ, in Domino
 justificabitur omne semen Israel. Ezech XXXVI, 25. Mundabo vos
 ab iniquitatibus vestris. Pl. LI, 12. Cor mundum crea in me Deus:
 attributum tamen sanguini Christi, Rom. V, 9. Multò magis nunc
 justificati in sanguine ipsius, salvi erimus ab irâ, per ipsum. I. Joh. I, 7.
 Sanguis JESU CHRISTI emundat nos ab omni peccato. Ephes. I, 7.
 In Christo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem
 peccatorum. Heb. IX, 4. Quantò magis sanguis Christi emundabit
 conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.
 I. Pet. I, 19 Redempti estis pretioso sanguine Christi. Col. I, 20. Per
 Christum placuit DEO reconciliari omnia, pacificanti per sanguinem
 crucis ejus. Hinc Epiphanius contra Dimeritas pag 433. Simul
 erant Deitas & humanitas, quando Christus in cruce carne passus est:
 Deitas passionum mansit expers, ut justificationem non in solâ car-
 ne haberemus, sed in Deitate: & salus nobis contingeret secundum
 utramque naturam, & in Deitate, & in carne.

§. 2. Resp. B. Gerhardi II. Sicut rectè dico: Christus secun-
dum humanam naturam, est omnipotens, omnipræsens personaliter:
ita non minus rectè dico: Christus secundum humanam naturam, est
Dei Filius, & Deus personaliter: sc. propter ineffabilem unionis
 gratiam,

gratiam, intimamq; naturarum *ἁπλοῦς*, & personæ *μενότηλα*.
Quamvis phrasis: *Humana Christi Natura est Deus*; nobis non
probetur, tanquam inaccurata, & confundens abstractum, Naturam
humanam, cum Concreto, Christo secundum naturam humanam:
usurpata quidem à nonnullis Nostratum, sed non primum tamen
introduc̄ta. Occurrit enim apud *Arhanasium* de susceptà nat. hum.
contra Apollinar. Et cum dicit, *ideò superexaltavit eum Deus, &*
donavit illi nomen, quod est super omne nomen, de templo loquitur,
quod est corpus suum; Non enim qui Altissimus est, sed caro ejus ex-
altatur: carniq; suæ altissimi nomen donavit, quod est super omne
nomen. Neque Verbum Dei donatitiâ ratione hoc nomen accepit, ut
Deus vocaretur: sed *CARO* ejus cum ipso simul *DEVS* appellata
est. Quemadmodum *Thomas* palpator ipsius carnis proclamavit: *O*
qui es Dominus meus & Deus meus, VTRVMQVE (*λόγον & carnem*)
simul Deum appellans. Itidem & *Johannes* scripsit: quod erat ab
initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ
palpaverunt de Verbo vitæ. Satis ergo constat, in Carne Filium &
Patris Verbum palpatum esse, & *ILLVD VTRVMQVE*, quod *SIMVL*
palpatum erat, Verbum vitæ sacræ literæ appellaverunt. Sic *Gregor.*
Naz. Carnem vocat *θεωθεϊσσω*, & *ὁμοθεον*, & Deum factum non se-
cundum transmutationem, sed secundum dispensatoriam unionem,
referente *Damasc.* Lib. III. de *Orthod. fide* c. 17. Ut ingentem insci-
tia caliginem *Wend.* prodat iterum §. 23. Quæ pia illa sit antiqui-
tus, scribens, quæ dixerit humanam naturam Christi esse æternum
Deum &c. equidem nescio.

§. 3. *Inst. Wend.* § 14. Sic non tantum dici poterit, Christus
secundum humanam naturam, est omnipotens, omnipræsens persona-
liter; sed etiam, Christus secundum humanam naturam, est secunda
SS. Trinitatis persona, à quâ & Patre ab æterno processit Spiritus S.
immensa, creatrix cæli & terræ &c. Et quod verò hoc est phraseos
portentum! Resp. ne quid nimis! Compescere potuisset iracundiæ
hoc temerarium æstrum, si lectus fuisset vel *August.* de bono perse-
ver. cap. 24. Fidelis est, qui in Christo veram naturam credit & con-
fetur humanam, quamvis singulariter suscipiente Deo Verbo, in uni-
cum Filium Dei sublimatum, ita, ut qui suscepit, & QVOD susce-
pit, una esset **IN TRINITATE PERSONA**: vel *Ambros.*

de Resurrect. Non est despicienda carnis humana natura, quæ in
 S A N C T Æ T R I N I T A T I S consortium per Dominum Christum
 ingredi meruit: Vel Maxentius: Si quis non acquiescit confiteri,
 Christum unum de TRINITATE cum C A R N E propriâ, anathema
 sit. Sensum verò Orthodoxum propositionum personalium, tum
 Ecclesiasticarum, tum ἐϋχάφων: Luc. I, 35. Sanctum è Mariâ na-
 tum, est Filius Altissimi. Matth. XVI. Filius hominis, est Filius DEI
 viventis. Rom. IX, 5. Christus è Patribus natus secundum carnem,
 est Deus benedictus in secula: ostendit optimè fundamentum, Unio
 hypostatica, talem postulans ἀνάλυσιν, ut loco Subjecti ponatur
 Concretum unius naturæ, loco prædicati Concretum alterius, per
 paronymicam prædicandi rationem. Perinde ac rectè dicitur, ob
 Unionem animæ & corporis, ignis & ferri, in eodem supposito: hoc
 animatum, est corporeum: hoc ferrum, est ignitum: ob concursum
 Philosophiæ & Theologiæ in eodem homine: hic Philosophus, est
 Theologus: ob conjunctionem lucis & rotunditatis in Sole: hoc
 lucidum, est rotundum: ob συνδρομὴν dulcedinis & flavedinis in
 pomo; hoc dulce, est flavum, & contra: etsi prædicari de se invicem
 Disparata nequeant συνωνύμως; nunquam Philosophia, sit diciq;
 possit ipsa Theologia, nunquam lux sit rotunditas, nunquam dulcedo
 existat flavedo: veluti nunquam Humanitas in CHRISTO ipsa est
 Deitas, & contra. Præstigiis verborum, quas Wendel. communi-
 scitur, propositiones personales non alio, quàm hoc admisurus sen-
 su: Persona Christi hominis, est Deus: vel, persona, cui hypostaticè
 natura humana est unita, est Deus, haud indigemus, sed illas suo re-
 linquimus auctori.

§. 4. Resp. Gerhardi IV. Tantum abesse, ut per doctrinam
 de reali idiomatum communicatione carni CHRISTI factâ, vera &
 æterna CHRISTI Deitas labefactetur, aut adversus hæreticos firmi-
 ter adstrui non possit, ut potius ea necessariò præsupponatur. Si enim
 humana Christi natura est omnipotens, omnipræsens, propter Unionem
 personalem cum Dei Filio, utiq; præsupponitur, ipsum Dei Filium pri-
 mò, per se, & essentialiter esse omnipotentem, omnipræsentem & c. Inst.
 §. 15. Wend. Funditus evertuntur nostræ demonstrationes, pro æterna
 Christi Deitate, adversus Arianos & Photinianos hætenus ex proprieta-
 ribus & operibus Dei propriis petita. Cadit enim propositio: Cui compe-
 tunt



runt & in Scripturâ tribuantur divina Idiomatica & opera, is est verus
 & æternus DEVS. Folia distinctionum, non κατ' αὐτὸ, sed κατ'
 ἄλλο, non πρῶτως, sed δευτέρως, hoc vulnus non sanant. Nam
 si est Creatura, cui proprietates & opera Divina competunt, Un-
 decunq; tandem & quacunq; ratione competant, falsa est propo-
 sitio; Cui competunt Idiomatica & Opera Divina, is verus & æ-
 ternus est DEUS. Si propositionem limitetis: Cui competunt κατ'
 αὐτὸ, & φύσιν, πρῶτως, ἰσχωδῶς, is est verus & æternus Deus:
 per tot distinctiones difficillimam vobis probationem assumptionis
 reddetis. Syllog. Quicquid difficilem reddit probationem Di-
 vinitatis CHRISTI, contra Arianos & Photinianos, est rejicien-
 dum. Dogma Lutheranorum, de reali Communicatione Di-
 vine Majestatis, Humane CHRISTI Nature factâ, difficilem
 reddit probationem Divinitatis CHRISTI contra Arianos &
 Photin. E. est rejiciendum. R. negando utramq; præmissarum.
 Majorem, quia ad obtinendū bonum finem, bonis itidem & legitimis
 opus est mediis. Proinde uti ad defensionē sui, falsitate nullâ eget ve-
 ritas; ita nec rejicienda est, quam Scriptura ipsa monstrat, limitatio,
 ut facilius modò refutentur Adversarii, sive Ariani fuerint, sive alii:
 sed statuendum potius, difficultatē maximā, in propugnandâ veritate
 cælesti occupatis, tunc demum creatum iri, si Scripturâ Scripturæ op-
 posuerint, idq; pronunciatum illimitatè intelligi voluerint, quod
 certâ limitatione Scriptura ipsa alibi contrahit. Sicut quidem
 Distinctiones Nostratum non imitatione Calvinianorum Scripturæ
 inferri, sed è Scripturâ auferri, manifestissimè testatur Apostolus
 Phil. II. 8. 9. dum de Christo inquit secundum eam Naturam, in quâ,
 assumptâ prius formâ servi, obedientiam Patri præstitit usq; ad mor-
 tem crucis: Ideò Deus exaltavit eum, & ἐχάρησαν τοῖς illi Nomen, quod
 est super omne Nomen, ut in Nomine JESU CHRISTI flectatur omne
 genu Cælestium, terrestrium, & Inferorum. Quibus verbis verè
 describi Divinam Religiosæ Adorationis Gloriam, docet collatio cum
 Effato Jehovæ Es. XLV, 23. *Mihi curvabitur omne genu, & jura-
 bit omnis lingua.* Minorem, quia Communicatione Divinæ Ma-
 jestatis, quæ humanitati Salvatoris obtigit κατὰ χάριν, Deitatem in-

CHRISTO, hac ipsâ fulgentem $\kappa\tau\ \phi\upsilon\sigma\iota\nu$, præsupponere, tam cer-
 tum, quam quod certissimum. Nî Omnipotens foret Christus,
 quâ Deitatem, per Essentiam, nunquam talis evasisset, quâ huma-
 nitatem, per participationem, & Unionis gratiam. Quamobrem
 firmissimè quidem æternam Deitatem CHRISTI, quâ Patri est
 $\acute{\omicron}\mu\omicron\sigma\iota\sigma\iota$, adversus Arianos, venerandus Patrum chorus demon-
 stravit ex iis, quæ in tempore CHRISTO data sunt, tanquam à po-
 steriori: At nisi hæc Universa & singula, ad humanitatem tamen re-
 stringantur, non difficulter modò, sed vix ac ne vix quidem, debitâ
 $\acute{\alpha}\nu\tau\iota\beta\epsilon\iota\alpha$, præcipuè, contra æternam Deitatem CHRISTI, Ariano-
 rum Objectiones dissolventur. Arcessebant has enim è Dîctis
 Philip. II, 9. I. Cor. XV, 27. Joh. III, 35. V, 26. VI, 39. X, 29. XVII,
 7. 9. 11. 12. 24. Matt. XI, 27. XX, 24. XXVIII, 18. Act. II, 33. 35.
 V, 31. Heb. I, 2. II, 7. 8. 9. III, 22. V, 5. 6. 8. I. Pet. I, 21. Ps. II, 6. 7. 8.
 CX. 1. Dan. VII, 13. Quæ etiamnum recentiores Photiniani, pha-
 leratâ valdè Oratione, urgent, hoc pacto colligentes: *DEO Supremo
 nihil datur. CHRISTO vero omnia dantur. E. CHRISTVS non est
 Supremus Deus.* Vid. *Crell.* Lib. V. de uno Deo Patre c. 10. *Socin.*
 c. 18. defens. *Animadv.* pag. 460 *Smalz.* p. 47. 51. contra *Ravensb.*
Ostrod. Institut. c. 6. *Stoienski* p. 6. 10. 11. 11. *Franc. David.* p. 66.
 contra D: Major. Quid hic respondebunt Calviniani? nisi no-
 biscum limitaverint, ex parte prædicati, Majorem: Supremo Deo
 nihil datur, *in tempore, quoad Deitatem*: Et sic negaverint subsum-
 ptionem, explicantes ea, quæ Christus in tempore accepit, de Naturâ
 humanâ, exaltationis capace & indigente, præeunte *Athanasio* Orat. 2.
 contra Arianos: *Exaltavit eum, non substantiam verbi exaltatâ signi-*
ficat, fuit enim & semper est æqualis Deo, sed ad humanitatem ejus spe-
ctat: ejus n. exaltationis indigus erat homo ob humilitatē carnis suæ &
mortis. *Cypr.* in exposit. *Symb.* p. 574. *Hilar.* 9 de Trinit. *Greg.*
Nyss. contra Eunom *Basil.* Lib 2. contra Eunom. *Epiphan.* Tom.
 2. Lib 2. hæc 69. *Ambros.* Lib. V. de fide c. 6. *August.* tract. 105. in
 Joh. *Leone* Epist. 22. *Comite Bezâ* part. I. resp. ad Colloq. p. 137.
 144. & *Danæo* in exam. contra *Cheninit.* p. 361. Aliàs non est quod
 miremur, non paucos è *Calvini* scholâ ad *Arianos*, vel *Photinianos*
 transivisse. Confessus enim apertè fuit, viam sibi ad hanc
 $\delta\omega\sigma\epsilon\tau\iota\alpha\nu$ stravisse Calvinismum, *Adamus Neuserus*, coram viro Il-
 lustris

lustri: nisi Calvinianus factus essem, inquiens, eò non devenissem. Et in
liter. Constantinopoli ad Gerlachium exaratis; *Qui vult vitare Ari-*
anumum, caveat Calvinismum. Quod præviderat, & prædixerat
Lutherus Tom. 2. Contra Cæl. Prophet. Du solt Wunder sehen/
weil sie auff der Bahn gehen/ das sie **GDDES** Wort wollen nicht
mit dem Glauben Ehren/ oder nach einseitiger Weis der Sprachen
annehmen/ sondern mit der sophistischen Vernunft und spitzer subti-
literen messen und meistern/ werden sie gar sein dahin kommen / daß
sie auch leugnen werden/ **CHRISTUS** sey nicht **GDDE**.

§. 5. Plures nimirum adhuc hypotheses Calviniani fovent, qui-
bus salvis, solidè satis Photinianos non prius refellent, quam bove in
locusta pariat. Ut maneamus in articulo de DEO, juvat hunc in-
modum colligere: *Quicumq;* 1. Nomen Jehovah interdum etiam
Creaturis attribui affirmant, 2. absolutam DEI Infinitatem negant,
3. Multiplicatis subsistendi modis, simul multiplicari essentiam asseve-
rant, 4. Exaltationem CHRISTI propriè sic dictam, secundum Vtramq;
Naturam, propugnant, 5. Omnium illustrissimum Oraculum, quo æter-
na Filii DEI generatio adstruitur, de resurrectione à mortuis expli-
cant, 6. Nomen Dei $\alpha\lambda\lambda\prime\ \epsilon\zeta\omicron\chi\eta\nu$ Patri vendicant, 7. Deum Patrem in
Operibus ad Extra $\alpha\lambda\lambda\prime\ \text{Filium \& Spiritum S.} \ \sigma\upsilon\nu\acute{\alpha}\nu\iota\alpha$ vocant, illi,
salvis suis hypothesibus, solide satis refutare Photinianos nequeunt.
De Calvinianis Verum prius. E. & posterius. Major prob. quã
membrum 1. quia è primariorum argumentorum censu, quibus De-
itatem Salvatoris æternam Catholici evincunt, illud Unum est, quod
Nomen יהוה suggerit ex Es. XLII, 8. $\text{אני יהוה הו' שמי וכבודי}$
 :נתן לתחתן Id vero prorsus enervatur, nì statuatur Creatoris
proprium. Hinc Socin. contra Witak. c. 6. Si Angeli Christo
multò inferiores, cum Jehovah personam aliquã in re sustinent, Jehovah
nomine appellati inveniantur, multo magis fieri potest, ut CHRISTUS,
qui in toto negotio salutis nostræ Jehovah Divinam personam sustinet,
ipsiusq; perpetuus in Ecclesiã vicarius est, Jehovah nomine appelletur,
nec tamen ipse sit reverà Jehovah, sive ejusdem cum ipso essentiæ. Conf.
Enjed. in cap. 16. Genes. Osterod. contra Tradel. p. 2. cap. 2. Smalz.
contra Ravensb. p. 47. Quã 2. ex Objectione AntiTrinitariorum;
Quæcumq; essentia est numero Vna, illa non potest esse in pluribus per-
sonis realiter à se invicem distinctis. *Essentia Divina, est numero*
Vna.

Vna. E. Vid. Catech. Racov. Major. p. 37. & 247. Minor p. 57. Quippe quæ nunquam solvetur, absq; idoneo Distinctionis temperamento, inter essentiam finitam, & Infinitam. Quà tertium, quia si tot ubiq; statuendæ forent essentiæ, quot dantur subsistendi modi, nec in S. S. Trinitate tres distinctæ personæ participarent eandem essentiam numericam: Sed si Major ista valeret: Ubicunq; dantur plures subsistendi modi, ibi etiam plures dantur essentiæ; cum verissimè subsumatur: In Deo non dantur plures essentiæ: invicta emergeret Conclusio: E. nec in Deo dantur plures subsistendi modi: verum non minus Persona, quam Essentia erit Unica. Quà 4tum, quia Verus, Summus, & Independens Deus, ob omnimodam sui Immunitatem, tam exaltationem sui ἰδιως sic dictam, quàm exinanitionem, per se planè respuit; ac proinde si exaltatio Christo secundum Naturam utramq; competat, secundum Neutrâ verus Deus ἕστωδως existet. Quà 5. quia si Deitas Filio Dei non obtigerit per generationem æternam, non erit Naturâ Deus. Quà 6. quia ubi locum invenit ἐξοχή quæpiam & ὑπεροχή, ut Ἰσὶ πρώτως καὶ ἡγεμένως, alteri δευτέρως καὶ ἐπομένως Commune prædicatum competat, ibi plenaria æqualitas exulat. Unde ut olim Ariani, cum Valent. Gentili, Patrem Principalem autorem cæli & terræ dixerunt; sic Photiniani Eundem verum Deum κατ' ἐξοχὴν pronunciant, Stojenski in relat. Disput. inter se & Joh. Mariam Carmelit. habitæ p. 75. Quà 7. quia terminus Ἐσυναυτίς, & causæ sociæ, si non dissimilitudinem aliquam introducit, & infra Majestatem Patris abjicit tum Filium, tum Spiritum Sanctum, certè essentiam Divinam divellit, cum ex identitate essentiæ, identitas quoque operationum proficiscatur. Minoris membrum primum, effulget è Calv. Lib. I. Instit. c. 13. ubi Hierosolymas, putat, insigniri nomine Jehovah, ad testandam DEI præsentiam. Cum Propheta, scribens, ante Christum esse verum Jehovah restatus esset, unde fluit justitia, nunc pronunciat Ecclesiam DEI hoc verè sensuram, ut nomine ipso gloriari queat. Conf. Zanch. Lib. V. de Trib. Elohim c. 5. Alsted. in Lex. p. 86. (2.) E Bezae volum. I. p. 589. At, ais, Patrem & ipsius gloriam ubique esse. Concedo. Sed ejus tamen quæ cælum & terram implet, veluti thronum & sedem in cælis, in cælis, inquam, illis extelsissimis tota Scriptura collocat. Quà de te mirum est non fuisse expensum à Brennio Tertull. adversus Prax. Scimus

Scimus Deum etiam intra abyssum esse, & ubique consistere, sed vi & potentia. Dan. de elench: hæret. fol. 119. Quod dicitur Pater, Filius, & Spiritus S. habitare in nobis Job. XIV. non de essentia Dei accipiendum, sed tantum de nostra per Christum connexionem. (3.) Ex Anhalt. Considerat. super præfat. Form. Conc. p. 10. Impossibile est tres modos essendi (alicubi, vel existendi) non inferre triplicem essentiam. Confer. Sadeel. Lib. de Verit. Hum. Nat. fol. 170. Joseph. Grab. refutat. libellorum D. Hunnii p. 182. (4.) Ex Anhalt. apologia p. 403. In aliis locis Scriptura loquitur de exaltatione totius personæ juxta utramque naturam, ad perpetuum Regnum & Sacerdotium. Conf. Bez. part. 1. Resp. ad Colloqv. Mompelg. p. 96. (5.) E. Calvino, Musculo, Bullingero, & Marlorato, qui verba reliquorum in explicatione Pl. 2. ordine refert (6.) E. Calv. Lib. I. Instit. c. 13. Zanch. Lib. I. de Trib. Eloq. c. 3. & Lib. V. cap. 6. Sohn. Tom. 2. exeg. Aug. Confess. p. 123. (7.) denique è Bucani Institut. p. 237. *Causa fidei est Deus Pater, συνάτιον Filius, & Spir. S. p. 261. Κύριον αἰῶν παenitentia est Deus, συνάτιον Spiritus S. Piscat. anal. Ephes. I, 7. Pater, Filius, & Spiritus S. sunt tres principales Cause sociæ Salutis.*

§. 6. Sed ut pedem è diverticulo in viam revocemus, Resp. V. B. Gerhardus, per distinctionem inter communicationem καὶ μέθεξιν, & συνδύασιν. De priori enim si intelligatur Major. Wend. Cui Idiomata Divina sunt communicata, is est Deus, argumentum totum concedimus, vendicantes Humanæ Christi Naturæ eam Communicationem, quæ fit καὶ ἐνωσιν καὶ συνδύασιν. Adversus talem verò communicationem inter naturas συνδεδυασµένας, omnino hucusque inconcusis exemplorum documentis, à nostratibus adfertam, quicquid vel Goclenius, vel Combach. vel Danaus, vel Sadeel, vel alii finxerint, aut pinxerint, quàm imbelles telum Argumento ultimo Wendel. ejaculetur, suo loco videbimus.

§. 7. In præsentem vindicanda restat (ne curemus πάρεργαι, quæ, ad eluendam inscitia & vafricie maculam, Wendel. inspergit,) quæ Calvinistarum λευδῶν: Nulli communicari propria, quin subjective insint, B. Gravverus destruit, ἀπαγωγὴ πρὸς τὸ ἄτοπον: Si absolute nulli communicantur propria, quin subjective insint, negandam

D

gandam

gandā quoque esse ipsam τῆς ἑξ ἰσοστάσεως Communicatio-
nem, factam Humanitati Christi ἐν τῷ λόγῳ, atque aded solven-
dam esse Unionem: Item nec de Deo Patre, Filio & Spiritu S. Idioma-
ta Divina prædicari posse, quia subjectivè iis non insint: ab Exceptio-
ne Wendel. §. 21. Proprietates insunt subjectivè ei, de quo prædican-
tur, si realiter ab eo differant. Atqui realiter à Deo non differunt,
vel à Personâ Divinâ, ab humanâ verò naturâ realiter differre extra
controversiam est. Syll. Quæcunque attributa realiter à naturâ
humanâ differunt, illa de humanitate prædicari non possunt, nisi sub-
jectivè insint. Idiomata Divina sunt talia attributa. E. Postula-
mus autem probationem Majoris, quæ cum nusquam compareat,
non minus proclive ac expeditum nobis erit eandem rejicere, quàm
Wendelino proferre. Equidem Dici de re, requirit inesse, ut est in
Axiomate Logico. At latius longè patet τὸ Inesse, quàm Subjecti-
vè alicui convenire, hoc est, alteri inhærere, quod proprium est ac-
cidentium Physicorum. Philosophus Lib. IV. Phyl. c. III. 8. recen-
set modos inessendi. 1. Pars est in toto. 2. Totum in partibus. 3. Spe-
cies in genere. 4. Genus in speciebus. 5. Accidens in subjecto.
6. Principia in principiatis. 7. Subordinata in suo fine. 8. Locatum
in loco. Interpretes addunt 9. quo forma est in materiâ, & 10. quo
res est in tempore. Quodsi jam valeret Major Wend. subsumerem:
Tempus & locus, sunt attributa realiter à naturâ humanâ diversa.
Addant Wendelini sectatores Conclusionem: E. Locus & tempus,
prædicari de humanitate nequeunt, nisi subjectivè insint. Annon
verò hoc erit augere cumulum absurditatum Calvinisticarum? cum
tam locus, quàm tempus, externa sit circumstantia: inhæreat au-
tem, sive subjectivè insit corpori, locabilitas & temporalitas, tanquam
potentia, per quam id aptum natum est tum contineri aliquo loco,
tum mensurari tempore.

§. 8. Contra monitum B. Gerhardi: terminos secundum,
 quatenus, in quantum &c. non esse χωριστικὸς, non ἀπολογικὸς,
 non θεολογικὸς, sed ἐξηγητικὸς subjecti &c. Excipit Wend. §. 23.
 Tandem ergo prodit Deus ἐξηγητικὸς, quem nova hæc inducit Theolo-
 gia. Risum teneatis Amici. Certè

Mente cares, si res agitur sibi seria, rursus
Fronte cares, si sic ludis inepte Sinon.

Fiat.

Fiat Syllogismus: *Quicumque est Deus secundum naturam humanam, particulam secundum sumptam ἐξηγητικῶς, is est Deus ἐξηγητικός. Christus sec. nat. hum. (juxta Luth.) est Deus, part. secundum sumptam ἐξηγητικῶς. E. Chr. sec. nat. hum. est Deus ἐξηγητικός.* Quanti hic facienda Major? Si à particulis limitativis liceret sic denominare prædicatum, pari subtilitate inferrem: Minerva est glauca secundum oculos, particulam restrictivam, secundum, non ἀιολογικῶς acceptam, seu reduplicativè, (ad designandam causam, per quam prædicatum cohæreat cum Subjecto) sed specificativè, (ad exprimendam partem aliquam corporis, respectu cujus prædicatum Subjecto inest) E. Minerva est glauca specificativa: Vel, Wendelinus secundum rationem delirat, part. secundum sumptam specificativè. E. Wendelin. specificativè delirat.

*Sit bonus interpres, & nil mala verba nocebunt,
Sit malus interpres, & nil bona verba juvabunt.*

§. 8 Porro confirmat B. Gerhard. adsertionem suam: CHRISTUM etiam secundum hum. naturam esse Deum; duplici syllog. Prior est: *Quicumque secundum utramque naturam est Filius DEI, is secundum utramque nat. est Deus. Atqui CHRISTUS sec. utramque nat. est Filius DEI. E: sec. utramque naturam est DEVS.* Excip. Wend. §. 24. I. ad conclusionem. Planè paradoxa est Conclusio. Quis queso Patrum Orthodoxorum, ut de Scripturâ taceam, ita unquam est locutus; CHRISTUS secundum utramque naturam est Deus? Novum jam surgit Evangelium à Suevis primum prædicatum, & in Germaniâ promulgatum: *Utraque Christi Natura est Deus: & utraque est homo.* Wendel. sc. ignorantem vocem B. Athanasii, paulò ante allegatam: *ILLUD UTRUMQUE, quod simul palpatum erat, Verbum vitæ & literæ appellaverunt;* (quam tamen φερίων, ut inaccuratam, nostram non facimus) & lethæo flumine submergenti Oracula Luc. I, 35. Matt. XVI, 16. Rom. IX, 5. Jerem. XXIII, 6. & XXXIII, 19. Act. II, 36. Nî enim CHRISTUS agnoscat Dominus FACTUS secundum humanitatem, quî erit Dominus Natus, secundum Divinitatem? Ita nimirum sectanda fuerunt vestigia Danæi, qui, ne Filium Dei confiteri cogeretur simul Deum & Hominem, augustissimo Athanasiano Symbolo, quod non ut σημεῖον, sed tanquam ἀναμφοισβήτητον περὶ μέγιστον, & γνώρισμα Catholicæ fidei,

D 2

Arianis

*Arianis oppositum, universus quaqua habitatur orbis Christianus, religiosè suscepit, & hæctenus asservavit, correctionis adhibere li-
mam non verecundatus est, in Tract. quem adversus Disputat. Ja-
cobi Andr. Vitebergæ anno 1580. habitam edidit. Cum enim Dn.
Jacob. Andr. th. 4. Athanasii verba recitasset: Est autem fides re-
cta ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus,
Filius Dei & homo est, obloquitur Danæus: Non Dei Filius, Deus &
homo est: sed idem, qui Dei Filius est, & homo est. Cui Cothurno
Arius indubitato applausisset, non inficiatus, teste Historiâ Ecclesia-
stica, Christum tum Dei esse Filium, tum hominem; Sed Christum
Dei Filium, esse & Deum, & hominem. Quod Athanasius, &
Catholici omnes affirmabant, I. ad probationem Majoris: Sicut
una est Subsistentia & filiatio, quæ Secundæ S. S. Trinitatis Personæ
ab æterno competit essentialiter, humanæ vero assumptæ naturæ per-
sonaliter: Ita una est Deitas, & competit τῷ λόγῳ essentialiter, hu-
manæ naturæ personaliter, vi unionis hypostaticæ. Quam ineptam
judicat §. 25. Insolens est phrasis filiatio, seu personalitas Filio Dei com-
petit essentialiter &c. Sed propter ineptissimam, & à mente Gerh:
penitus alienam resolutionem, in duas hæc comparationes: Vt se-
cunda S. S. Trinitatis persona est Filius per Essentiam: Ita humana
natura est Filius per hypostasin. Vt λόγος est Deus per Essentiam:
Ita humana natura est Deus per hypostasin; confundens iterum, ut
coquus jura, prædicatum hoc: est Deus personaliter; est Filius per-
sonaliter; cum illo: habet Deitatem personaliter; habet filiationem
personaliter. Habet corpus hominis cujuscunq; suppositaliter
sibi unitam Animam, habet ignitum ferrum ignem: neq; tamen
vel corpus, anima ipsa est; vel ferrum tale, ipse ignis. Sed uti ab
animâ corpus est diciturq; animatum; ab igne ferrum evadit igni-
tum: ita propter personalem Unionem cum Deitate ἡ λογική, λογω-
γεῖσσι, & θεωθεῖσσι Humanitas CHRISTI nuncupari meretur.
III. Ad Assumptionem, quam præcisè negat tanquam falsam & ab-
surdam §. 26. In probatione Gerhardiana; Si Christus secundum
assumptam naturam humanam, modo ἐξ ὅχῳ & personaliter non est Dei
Filius, sequitur aut prorsus non esse appellandum Dei Filium, aut tan-
tum Filium adoptivum; Atqui illud est absurdum, cum & aliis ho-
minibus hoc tribuatur: Hoc damnatum in Felice Vrgelitanorum Epi-
scopo:*

scopo; negat rursus ὁμολῆσι: Est enim Filius Persona & Per-
 sonæ nomen: Atqui humana Christi natura non est Persona, sed al-
 quid Personæ: ubi abstracta cum concretis, natura cum Persona con-
 funduntur, ibi absurda hujusmodi neesse est sequi. Id vero est, quod
 ex integro præstat Wendelinus. Abstractum est, natura humana:
 concretum, Christus secundum naturam humanam; coincidens cum
 Christo homine. Cur ergo verba Gerh: tam fraudulenter contor-
 quet, ut quod de Christo secundum naturam humanam, seu Chri-
 sto homine, dixerat Gerhardus, Wendelinus ad naturam humanam
 trahat? Imò redit eadem confusio abstracti, naturæ humanæ, cum
 concreto, Christo secundum naturam humanam §. proximo num:
 27. ubi contra ulteriorem Gerh: discursum: Secundum quam natu-
 ram Christus est natus ex virgine, secundum eam est Filius Dei & De-
 us Luc. 1, 35. Christus secundum humanam naturam est natus ex vir-
 gine. E. excipit Wendelinus: probationem esse inconsequentem: Lo-
 qui enim locum allegatum de Persona θεῶν ἀνθρώπων, non de humana na-
 tura: non enim natum esse ex Maria naturam humanam, sed Personam
 θεῶν ἀνθρώπων. Quamvis præterea falsum sit, nullatenus ad natu-
 ram humanam pertinere nativitatem à virgine Maria. Distinguen-
 dum inter Subjectum hujus nativitatis, ut QUOD, & ut QUO, sive
 totale, & partiale. Illud suppeditat Persona, hoc natura humana.
 Sicuti enim nihil est Entitatis, in Personâ Christi συνθέτω, tanquam
 toto, quin prius fuerit in aliqua ejusdem parte Analogicâ, hoc est, si
 non in utraq; , tamen in altera natura: Ita nec ullæ affectiones enti-
 tativæ prædicari de Personâ Christi possunt, secundum neutram
 intelligendæ naturam. Scitè Cyrill. Epist: X. Quod de Christo
 dicitur, vel secundum divinam naturam tantum, vel secundum hu-
 manam naturam tantum, vel secundum utramq; naturam dicitur.

§. 9. Posterior Gerh: Syllogismus est: secundum quam na-
 turam Christus est adorandus, secundum eam est verus & æternus
 Deus. Atqui secundum humanam naturam Christus est adoran-
 dus. E. Excipit Wend: propositionem distinguendo: secundum
 quam naturam, tanquam objectum adorationis, quod per se solum
 terminat, aut terminare potest actum adorationis, Christus est ado-
 randus, secundum eam est Deus. Et cum hac limitatione assumpti-
 onem negat. Frustra. Est ἀπὸ λῶς adoratio religiosa, cultus verè me-

rēq; divinus, Deut. IV, 13 Et Matth IV. 19. *Dominum DEVM tuum adorabis, & ipsi soli servies*: Cum fide salvificā, in Deum unicē dirigendā, tam adamantino copulatus nexu, ut nullum admittat divortium. Rom: X, 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?* Itaq; non tantum Personæ nulli, nisi DEUS sit ἰσοθεός, sed neque ulli naturæ deferendus, nisi Deificata, vel Divinitatis consortium ingressa fuerit, ut secundum hanc persona Deus dici ἰσοθεός mereatur. Hinc Veteres nomen illud gloriosum, quod post obedientiam DEO Patri usque ad mortem crucis præstitam, per gratiam Christus adeptus est, (quo ad illam certē naturam, in quam talis obedientia cadit) tripliciter interpretantur. I. de appellatione DEI, Christo homini, vel secundum naturam humanam, personaliter competente, ut homo, cum DEO verbo, vocaretur Filius DEI, quemadmodum Epiphanius loquitur, hæresi 69. II. De vocabulis officii Mediatorii, cum Christus non minus respectu humanitatis, quā divinitatis, Redemptoris, Regis, & Pontificis nostri munus obeat, quod Fides fidelisq; adoratio Christi præcipuē spectat, apprehendens Christum θεάνθρωπον, non saltem ut personam Divinam, sed potissimum ut nostrum Salvatorem, qui ideò naturam humanam assumpsit, ut in eā, cum eā, & per eam opus redemptionis perageret, utq; peragere valeret, Divina potentia ditavit & dotavit. Inde q; III. de Majestate, quam religiosā genuflexione, omnes promiscuē creaturæ, suspicere & venerari tenentur.

§. 10. Verba Schegkii: *Adorabile esse, est proprium Divinitatis. Quare Christus propter Divinitatem suam adorandus est. Humanitas autem, ut creatura, per se non est adorabilis. Totus adoratur propter Divinitatem*: nobis non adversantur, etsi non assentiamur omnibus illius placitis. Quia juxta nos etiam idioma est divinum, religiosa adorabilitas, utique nostrā quoque sententiā, non potest non DEO soli competere, ut & Christus totus adoretur propter Divinitatem; modo non ὑπερλόγη, sub ambiguā particulā *per se*, occultatum voluerit Wendelinus, opponendo videlicet illam non ἰὼ καὶ ἄλλο, sed ἰὼ καὶ συμβεβηκός, sensu Dani, cui caro Christi saltem adoratur *indirectè & per accidens*, uti adorato civiliter Rege, unā adoratur Regis purpura, neque ad constitutionem personæ Regis pertinens, neque ulla subditis beneficia conferens.

§. 11.

§. 11. Ratiocinium Wendel. *Secundum quam naturam Christus est adorandus, secundum eam est Spiritus æternus, independens, simplicissimus, immensus, creator cæli & terræ. Atqui secundum humanam naturam est adorandus. E. secundum humanam naturam est Spiritus æternus & c.* Ambabus largimur manibus: definitioni autem, quam è conclusione, & hypothesi nostrâ, inferre satagit: *Ecce, pergens, egregiam humanæ Christi naturæ definitionem! Quid est humana Christi natura? Resp. Spiritus æternus, independens, immensus, simplicissimus, creator cæli & terræ: plus subest malitiæ, quàm argutiæ; quia denuò ineptè confundit abstractum cum concreto, naturam humanam, cum Christo secundum naturam humanam.*

§. 12. Ineptius eadem oberrat chordâ, cum novum Gerh: argumentum: *Secundum quam naturam Christus non est omniscius, omnipotens, omnipræsens, secundum eam quoq; adorari & Deus esse non potest, Atqui Christus secundum naturam humanam non est omniscius, omnipotens, & omnipræsens (ex hypothesi Wend)* E. *Christus secundum humanam naturam neq; adorari, neq; ullo modo Deus esse potest. Concedit §. 28. si conclusio cum limitatione superiori accipiatur: Christus secundum humanam naturam, non debet adorari, tanquam objectum adorationis completum, quod per se solum terminare actum adorationis possit. Fundatur enim religiosa adoratio in Majestate divinâ, complectente tum omniscientiam, ut objectum adorationis, qualecunq; id exstiterit, sive completum, sive incompletum, omnes nostras necessitates exactissimè perspectas teneat; tum omnipotentiam, ut sublevare has queat; tum omnipræsentiâ, ut ubiq; locorum nobis adsit. Psal: XCI, 15. Clamavit ad me, & ego exaudiam illum, cum ipso sum in tribuatione, Eripiam eum & glorificabo eum.* Quare tam acriter in dementiam idololatrarum Prophetæ invehuntur, quod ea colant, quæ nec scientiâ ullâ, nec potentiâ pollent. Et qualis Magister ad opitulandum foret Christus, *veniens ab Edom tinctis vestibus, & conspersis sanguine, Esai LXIII.* non ad aliam sane naturam referendo, quàm humanam, si secundum hanc in gloriâ hodie triumphans, *ἀγνοία* ullâ laboraret, vel *ἀδυναμία* auxiliatricem dextram porrigendi: nî secundum hanc, in ipso essent absconditi, omnes Thesauri scientiæ & sapientiæ? Col: II, 3. Nî data essent omnia Matth: XI, v. 17. *πᾶσα ἰξυσία* in cælo & in terra? Matth: XXVIII, 18.

§. 14.

§. 13. Idem judicandum de *Wendelini* §. 29. ubi, repetitâ limitatione suâ, putat abundè ἀνθρωπολατρείας declinari peccatum, citra detrimentum hypotheseos Calvinianæ, negantis Christum secundum naturam humanam, esse Deum: modò secundum hanc non statuitur objectum adorationis completum, per se hunc actum terminans. Qualicumq; enim objecto deferatur adoratio, desinit esse divinus cultus, quam primum ullam ad rem, sive naturam, extenditur, respectu cuius, Persona adorabilis, nullatenus Deus est.

§. 14. Ineptissimè autem nobis remittit par illud Syllogismorum: *Quicumq; adorant Christum secundum utramq; naturam Deum, ii adorant Christum nec à scriptura prædicatum, nec à conciliis antiquis receptum.* Atqui *Gerh:* cum suis discipulis, adorat Christum secundum utramq; naturam Deum. *E.* adorat Christ: nec à scriptura prædicatum &c. Item: *Quicumq; adorant Christum secundum humanam quoq; naturam Deum, ii adorant Christum Eutychianum.* Atqui *Animadversores* adorant Christum secundum humanam naturam Deum. *E.* Ostendimus enim falsitatem Majoris, in primo, jam ante classico dicto Rom: IX, 5. *Christus è patribus natus secundum carnem, est θεός & λογικός εἰς τὸν αἰῶνα;* siquidem nihilo plus versatur discriminis, inter Christum secundum carnem, et Christum secundum naturam humanam, quàm inter humanam naturam, & carnem Synecdochicè, phrasi scripturæ, sumptam. Cui *συμφωνία* plane sunt, quæ exstant Luc. I, 35. Matth: XVI, 16. Jer: XXIII, 7. In secundo futilitatem propositionis, unà cum extremâ *Wendelini* malitiâ & impudentiâ, detegit probatio; quia *Eutyches* humanitatem à Deitate absorptam docuit, adeoq; non nisi unam naturam asseruit. Dicunt quidem *Lutherani* se naturam humanam servare integram, etiamsi Deum illam esse contendant: sed nisi meris verborum ludant præstigiis, somnium sibi fingunt sine somno. Fatente enim *Wendelino* §. 9. & 32. Concedunt cum *Gerh:* præside animadversores, humanam Christi naturam, nec appellari Deum, nec esse. *Wend* igitur est, qui præstigiis verborum ludit, & somnium sibi fingit sine somno, parum, qui sua somnia allis affricat, aliorumq; verba fraudulentier depravat, adeoq; *Sycophantam* Istro fallaciorem se præstat.

Posi-

POSITIO III.

UT NORMAM EMINENTIÆ, QUA *Resp.*
 HUMANITATEM SALVATORIS UNIO- *Michaële*
 NIS HYPOSTATICÆ SINGULARIS PRÆRO- *Seo ebad.*
 GATIVA BEAVIT, NON RATIONIS NOSTRÆ *St. falsu,,*
 DICTAMEN, SED SCRIPTURA PRÆBET; *denfi,*
 ITA PROBE OBSERVARI MERENTUR, QUOS *d. 6 Mart:*
 EADEM MONSTRAT, DIVERSISSIMI PAR- *1662.*
 TICIPATIONIS MODI.

§. I.

Tertium Wendelini Argumentum hujusmodi est: *Humane*
Christi nature aut omnia Idiomatica divina sunt communica-
ta, aut aliqua tantum, aut nulla. Atqui non omnia: Quia
ipsimet Lutherani negant, eam esse eternam, immensam &c. non ali-
qua tantum: quia separari à se invicem non possunt, cum realiter
idem sint, omnia inter se, & cum natura divinâ. E. nulla. Resp.
B. Gerb: negando minorem, (1.) quod diserte in sacris literis huma-
na CHRISTI natura celebretur omnipotens, omnipræsens, &c.
ὀνομαζωσ, seu personaliter. Instat Wendel. §. 39. Sensum ad-
verbii ὀνομαζωσ Calvinisticum: Concretum humane nature, hoc
est, Homo qui est persona, seu ὀνομαζωσ, est omnipotens, omnipræ-
sens &c. tolerari: Sed Lutheranum: Humana Christi natura, pro-
pter unionem personalem cum naturâ divinâ communicatam habet o-
mnipotentiam, omniscientiam, omnipræsentiâ &c. esse falsum, ab-
surdum, scripturæ & nature humane inimicum, duplici de causâ.
1. Quia quo sensu humana Christi natura sit omnipotens, omniscia, o-
mnipræsens, eodem quoque sit Deus. 2. Quia natura humana in ipsa
hypostasi divinâ nunquam sine naturalibus proprietatibus fuit: Quæ
omnes sint finitæ, & in eadem naturâ, cum infinitis incompatibiles.
Alteri satisfactum est. Altera in hunc redigetur Syllogismum: Cu-
juscunque singulæ proprietates sunt finitæ, in ipsa etiam hypostasi di-
vinâ, id neque ὀνομαζωσ ullum sibi vendicat idioma infinitum.
Humana CHRISTI natura singulæ proprietates sunt finitæ,
in ipsa etiam hypostasi divinâ. E. nec hypostat. ull. sibi vend. Id. inf.
Resp. in proclivi est per limitationem majoris, quâ prædicatum:
 E Cujus-

Cujuscunque singulae proprietates sunt finitæ, in ipsa etiam hypo-
 stasi divinâ, id nec hypostaticè ullum sibi vindicat idioma infinitum,
 scilicet *tanquam idioma*, id est, *per se, πρώτως, ἀμέσως, ἢ γρηγορώτως.*
 Quomodo largimur totum. Siquidem eo ipso dum possideri divina
 idiomata ab humanitate ὑποστατικῶς, sive per & propter gratiosam
 assumptionem in ὑπόστασιν ἔ λόγῳ, affirmatur, simul implicite ne-
 gatur, proprietatum humanarum ambitu illa contineri; cum omne
 proprium subjecto competat ἔσιωδῶς. Interim ut finitudo naturæ
 humanæ, non prohibet mutuam illius περὶχώρησιν, & communica-
 tionem arctissimam cum divinâ: quia unio hypostatica facta fuit,
 non tantum ἀτρέπτως, ἀναλλοιώτως, ἀσυγχύτως; verum etiam
 ἀχωρίτως, ἀδιαλύτως, ἀδιασπείτως, ἀδιασπείτως: sic ne hilum
 quoque proprietatibus humanis derogabit, orta hinc hypostatica
 communicatio, vel μεγάλη περὶ θεῆς Divinæ Majestatis, omnisci-
 entia, omnipotentia, omnipresentia, aut idiomatum reliquorum.

§. 2. Regerit Wendel: In æternum conciliari non possunt, quibus-
 cunq; respectibus & distinctionibus, eandem numero nat. hum. simul ve-
 re & propriè actu æternam esse & non æternam, independentem &
 non independentem, immensam & non immensam, certo loco circumscri-
 ptam & non circumscriptam, absolutè simplicem & non simplicem, abso-
 lutè impatibilem & non impatibilem, omnipotentem & non omnip: &c.
 Distinctiones, quæ pro hisce absurdis conciliandis excogitantur, omnes
 frivola & nullæ sunt: Prædicatum contradictorium nullâ limitatio-
 ne subjecto conciliatur. Top. cap. ult. Et paulo post: Ego propter
 Juniores hoc repeto: Impossibile est, duos actus contrarios, vel con-
 tradictorios, in eodem, secundum idem, eodemq; tempore, actu, re ipsa
 inesse: Quæcunque tandem actuum horum causa, & quantumcunque
 differentes ponantur. Habeant ergo sibi Animadversores suum
 ὑποστατικῶς, non distinctivum, sed humanæ naturæ destructivum.
 Nos, in gratiam juniorum nostrorum & seniorum, continuabimus
 structuras Syllogisticas: Prædicata contradictoria, nullâ limitatio-
 ne subjecto conciliantur. To esse æternum & non æternum, inde-
 pendens & non independens, immensum & non immensum, loco cir-
 cumscriptum & non circumscriptum, absolutè simplex & non simplex,
 omni-

omnipotens & non omnipotens, sunt prædicata contradictoria. E.
Nullâ limitatione subiecto conciliantur. Resp. Disting, inter con-
tradictoria prædicata ὄντως talia, & φαινομένως. De illis valet
 Major: Qualia occurrere, si idem æternum & non æternum, inde-
 pendens & non independens, immensum & non immensum, absolu-
 tē simplex & non absolutē simplex statuatur, concedimus. Appa-
 rentem verò duntaxat contradictionem offerri, dum omnipotens &
 non omnipotens, circumscripta & non circumscripta, diverso respe-
 ctu, ὁσίως & ὑπόστασεως, Caro Christi audit, novimus è Scripturâ,
 utrumque docente, Christum instar puerorum participasse carne
 & sanguine, Hebr. II, 14. Sive principia spectemus naturæ humanæ
 συστατικά, sive τὰ παρεπίμυα τῆ φύσι: & tamen hanc carnem
 fuisse assumptam à λόγῳ v. 16. In ὑπόστασιν utique incircumscri-
 ptam, nec cœlis cœlorum comprehendendam, III. Reg. VIII, 27.
 Ut in carne hac habitet πάντῳ πληρῶμα τῆς θεότητος σωματικῶς,
 Col. II, 9. Agnumq; occisum, (non ædepol in divinitate) accepisse
 eandem cum sedente in throno, DEO Patre, δόξαν & κράτος in
 secula seculorum legamus Apoc. V, 13. Quod neque Philosophia
 sana τοῖς ἀδυνάτοις accenset. Potentiæ enim creatoris activæ nî re-
 sponderet, potentia quædam passiva apud creaturas, pro minimo
 obedientialis, & remota, nudam dicens non repugnantiam, non
 maneret creator παντοκράτωρ, agens αὐτάρκεια, καὶ αὐτεξισιώτα-
 τον; sed alligaretur conditionibus materiæ. Quod cum absurdum
 sit, utique si voluntate absolutâ cupiat idiomata etiam sua creaturarum
 cuiuspiam, interventu hypostaticæ unionis, communicare, non pote-
 rit non eadem illa recipere, absque omni resistantiâ. Et si volunta-
 tis huiusmodi actualis, tanquam summi mysterii, significationem
 scriptura sola exhibeat: naturæ lumen non aliam monstret partici-
 pationem DEI, quàm quâ causa se communicat effectui.

§. 3. Objectionem Wendel. παρέργως §. 27. insertam: *Si idio-*
mata divina propriè sunt nulla, utique communicari humanæ naturæ
possunt nulla. At verum prius. E. posterius: uno quasi spiritu dif-
flat distinctio inter idiomata prædicamentalia, & transcendentalia:
Vulgaria, & eminentiora. Ut limitari oporteat majorem; si idiomata
divina propriè dicta sunt nulla, scilicet nec prædicamentalia, nec

E 2

trans-

transcendentalia & eminentiora, utique communicari humanæ naturæ possunt nulla. Quomodo corrui minor. Caret quidem Deus Idiomatibus sortis communis, quæ categorias incolunt, & ex essentiâ subjectorum ita promanant, ut peculiarem aliquam entitatem illis superaddant; Sicuti DEUS ipse, ad nullum prædicamentum directè pertinet, cum nihil sit in DEO, quod non sit ipse DEUS. Præbent autem nihilominus idiomata eminentiora, quælibet prædicata paronymica, eandem essentiam DEI, alio atque alio conceptu inadæquato, menti nostræ ingerentia. Quid? quod controversia à Calvinianis mota, de Majestate divinâ humanitati Salvatoris communicatâ, non πρώτως concernat terminos, sed rem vocibus designatam. Perinde erit Theologo, sive proprium DEI appellaverint omniscientiam, omnipotentiam, & omnipræsentiam divinam, Calviniani, sive non, modò horum attributorum realem indusserint carni CHRISTI communicationem. Convicia & scommata, quæ passim ad complendas paginas, & excludendum vacuum, Wendelinus immiscet, atque adversus Theologos ubiquetarios (quem titulum honorarium Catholicis impingit) oralem manducationem, & stomachum Lutheranum, agminatim effutit, si irasceremur, agnita viderentur, spreta exolescent.

§. 6. II. *Responsio Gerh: Omnia idiomata esse communicata materialiter, sed non omnia eodem modo, formaliter & denominativè. Unde quædam ἀμέσως, quædam ἐπὶμέσως de humanâ Christi naturâ prædicentur, nec dicatur humana natura infinita, æterna &c. Objicit Wendel: §. 14. dissensum Theologorum Marpurgensium à Tubingensibus, quod videat incertum hæc scindi studia in contraria vulgus: Et Argumentum illud Thummii: Quicquid subsistit ea ὑπόστασις, quæ fuit ab æterno, illud vi illius æternæ hypostasios, seu mediante illa æterna ὑπόστασις, sibi realiter communicatâ, æternitatis quoq; realiter est particeps factum. Atqui humana natura in Christo subsistit &c. E. Abs re. Cum enim consopita, Dei gratiâ, sit odiosa λογομαχία, quæ Marpurgensibus olim cum Tubingensibus intercessit, Wendelini dedecuisset prudentiam, postliminiò rursus camarinam movere, imò & modestiam, viros famæ nitore clarissimos obscurissimâ appellatione vulgi diffamare. Sed neq; conclusio Thummii, nos ferit, Participem enim factam esse humanam Christi natu-*

naturæ

naturam æternitatis, quisnam simpliciter negabit, cui omnia idio-
 mata divina, certo sensu (*materialiter*) adepta fuit? Absurdum
 autem si ulli videatur τὸ συμπύροσμα, is ad Judicii accuratioris bi-
 lancem appendat oraculum Col. II, 9. *In Christo habitat, omnis ple-
 nitudo divinitatis σωματικῶς*: non utiq; qua divinitatem, quippe
 quæ cum omni plenitudine divinitatis coincidit, sed secundum hu-
 manitatem: cum aliud esse oporteat quod inhabitat personaliter,
 aliud quod inhabitatur. Plenitudo enim divinitatis, nullum idio-
 ma divinum sinit excludi; atq; adeò tam æternitatem, quàm omni-
 potentiam, omnipræsentiam, & omniscientiam complectitur. Ni-
 mirum tribuerat Apostolus cap. I. carni, sanguini, morti, ac cruci-
 fixioni Christi, beneficia spiritualia, numero plurima, dignitate augu-
 stissima, instaurationem, reconciliationem, pacificationem &c. Eo-
 rumq; gratiosum cumulum ut nobis fratribus confidenter pollicea-
 mur, solidissimum ac solatii vivi plenissimum monstrat fundamen-
 tum cap. II. dum addit; *In Christo habitare totam plenitudinem
 divinitatis*, hoc est, totam, plenam, & perfectam Deitatem, & quic-
 quid ad illius complexum spectat: non minus ac plenitudo terræ &
 maris, phrasi scripturæ, significat quicquid terræ ac maris peripheria
 concludit. Unde nos per ipsius, tanquam capitis, apprehensio-
 nem, *πεπληρωμένοι*, per subministrationem, crescimus in augmen-
 tum Dei, nec eum ullâ conflictemur penuria illorum, quibus ad re-
 demptionem, liberationem, defensionem contra hostes, ad gratiam,
 acceptationem, exauditionem, auxilium apud Deum, conversionem,
 Justificationem, sanctificationem, conservationem, & Salvationem
 indigemus: Sed ex ipsius plenitudine hauriamus gratiam pro gratia
 Joh: I. Et per & propter illum impleamur omni plenitudine DEI
 Ephes: III. Quæ operetur Christus non solâ Deitate, seorsim ac se-
 paratim, sed in illa naturâ, cum illâ, & per illam, quæ caput cum
 membris necessitudinis aliquo vinculo connectit. Quamvis variet,
 pro varietate idiomatum, communicationis modus: Quædam com-
 municata sint ad immediatam denominationem, & usurpationem, ut
ἐνεργητικά, per quæ Deus extra essentia sue penetralia, & ἀπρόσιτον
 quasi majestatis sedem, ad creaturas progreditur, & apud has externo
 aliquo opere se manifestat, omniscientia, omnipotentia, omnipræ-
 sentia, ad obeundas officii mediatorii partes necessaria: quædam ad
 E 3 solam

solam possessionem, ut ἀνερέργηται, quæ per nullam operationem externam sese exerunt, independentia, immensitas, æternitas. Quæ ipsa tamen de carne salvatoris prædicare ἐμμέσως, interventu cœterorum nil vetat, quin potius scriptura jubet. Quemadmodum enim æterna est, quam filio hominis antiquus dierum tradidit, potestas, Dan. VII, 14. Sic æquè æterna existit, indeq; immensa, & independentens, omniscientia & omnipræsentia, ac universa divina majestas, quâ dependenter, ob unionem hypostaticam cum λόγῳ, humanitas Christi potitur. Argumentamur: Quicumq; petiit eam à Patre cœlesti, & accepit gloriam, quæ apud Patrem ante orbem conditum fuit, is gloriâ coruscat æternâ. Ratio: quia creationem orbis mera æternitas antecessit, unde in sacris literis, per durationem orbem conditum antegressam, æternitas divina describitur Ps. XC. 2. & Prov. VIII, 24. Christus secundum naturam humanam petiit à Patre cœlesti Joh: XVII, 5. & accepit cap. XII, 8. Gloriam, quæ apud patrem ante orbem conditum fuit, quia secundum divinam omnia apud Patrem habuit. E. Christus sec. nat. hum gloriâ coruscat æternâ.

§. 5. Instat Wendel: Omnia Idiomata esse simplicissime unum & idem, quoad rem: Cujus summam fecunditatem & perfectionem nos non nisi per conceptus distinctos, & varios inadequatos repræsentare nobis possumus: Igitur si res per æternitatem & immensitatem significata destruit naturam humanam, utiq; eandem quoq; destruet res per omnipotentiam & omnipræsentiam significata, quæ simplicissime una & eadem est, etsi à nobis ita simpliciter intelligi non potest. Resp. Beat. Gerh: Quamvis attributa divina omnia κατὰ αὐτὰ & intra ipsum divinitatis complexum considerata, sint ipsissima & simplicissima Dei essentia, nec à se invicem distinguantur: tamen πρὸς ἔξω & ratione ἐπέχειας considerata, à se invicem omnino sunt distincta. Replicat Wend. §. 24. Sensus hic est: Idiomatum divinorum effecta externa, seu πρὸς ἔξω, sunt distincta: Res ipsa nominibus variis significata est simplicissima, una & eadem, quæ tamen à nobis intelligi non potest nisi per conceptus plures inadequatos; quod ut nemo negat: Ita nec ad rem hoc quicquam facit: non enim communicari dicuntur naturæ humanæ nostri conceptus inadequati, sed

res

res conceptibus illis significata, quæ una & simplicissima simul est, æternitas, immensitas &c. Syll: Quæcunq; se habent ut diversi & inadæquati conceptus, ea non dicuntur communicata (à Lutheranis) humanæ Christi naturæ. Idiomata divina ratione *ἰεργείας* distincta, se habent ut diversi & inadæquati conceptus. E. R. Prodi-
 rursus, vel malitiosè simulari ingentē *ἀναδουσίαν*, & ignorantiam, eamq; à Philosopho aliàs non uno ex multis, distinctionis nimirum inter conceptum *objectivum*, & *formalem*. *Objectivus* conceptus, est objectum ipsum quod objicitur intellectui, & ab hoc concipitur. *Formalis* est idea, per quam objectum extra intellectum positum cognoscitur & concipitur. De *formalibus* itaq; conceptibus cum valeat Major, fallit necesario Minor. Etsi nobis aliis atq; aliis conceptus *formalis*, distincta idiomata divina repræsentet, ipsa tamen extra intellectum nostrum posita manent universa & singula. Ac licet non differant à se invicem realiter, sed ratione tantum: Discrimen tamen hoc rationis est *rationate*, seu *eminentioris*, & quod cum *virtuali* coincidit, ex natura rei, non rationis *pure & ratiocinantis*: Triplici nixum fundamento. Primum suppeditant, *Analogia* creaturarum. Quomodo cum in homine intellectus differat à voluntate, tanquam facultas cognoscitiva ab appetitiva, mens nostra inde occasionem sumit, etiam distinguendi quodammodo, intellectum à voluntate, in Deo. II. *Opposita*. Quia differt mortalitas, à locabilitate, aliter quoq; concipimus immortalitatem Dei, quam illocabilitatem ejus. III. Et præcipuum *effectus & opera*. Aliter enim per hæc sese manifestat divina justitia, duræ frontis peccatores suppliciiis afficiendo, aliter divina misericordia, resipiscentes peccatores veniã serenando.

§. 6. Præterea monet Beat: Gerh: distinguendum esse inter *Idiomata communicata humanitati Christi*, quoad solam *κτῆσιν*, & inter ea quæ communicata sunt quoad *χρησιν*. Hæc immediate de Christo secundum assumptam humanam naturam prædicari, illa non item: sicut non dico Corpus est spirituale, ferrum est leve: quia hæc tantum communicativè possidentur à corpore & ferro: sed contra corpus, est vivum, sentiens: Ferrum, est calidum & splendidum: quia hæc *ἰεργειῶν* se exerant. Inst: Wend: quadrupliciter, §. 43. & 46. I. Inepta est illa distinctio *κτῆσεως & χρησεως* in *Idiomatibus*

tibus divinis, illis etiam, quæ externo se actu seu opere exerunt: Si-
 quidem omnipotentia & omniscientia divina non est potentia vel ha-
 bitus tantum, qualis est in hominibus, sed in perpetuo utraq; constituta
 actu. II. Omnipresentia proprie sic dicta, hoc est, Propinquitas sub-
 stantialis apud omnes creaturas in omni πᾶσι & loco, quam omniades-
 sentiam vel omnipropinquitatem alii appellant, ad quam obtinendam
 tota hæc doctrina de communicatione idiomatum, est corrupta, nullo
 colore distingui potest in κτήσι & ζήσι. III. Ergo quæ ἐνεργητικῶς
 se non exerunt accidentia, immediate prædicari de subjectis non pos-
 sunt? Atqui corpus quantum & figuratum dicitur; Etsi quantitatis
 & figuræ per se nulla est ἐνέργεια: Relata dicuntur res à relatione,
 etiamsi relationis per se nulla est ἐνέργεια. IV. Ut redemptionis opus
 in & cum assumptâ carne λόγος perageret, non opus erat communica-
 tione idiom. Lutheri. Fungitur n. Redemptor officio suo secundum utramq;
 nat. ita ut, quod est unius naturæ, non agat, vel patiatur altera, sed
 suum utraq; divina, q. est nat. Divina, humana q. est humana. Syll:
 I. Quod est in perpetuo actu constitutum, inepte distinguitur ratione
 κτήσι & ζήσι. Omnipotentia & Omniscientia in perpetuo
 actu est constituta. E. II. Quicquid dicit perpetuam adessentiam apud
 omnes creaturas, id distinctionem ratione κτήσι & ζήσι prorsus
 respuit. Omnipresentia divina, dicit talem adessentiam. E. III.
 Quantitas, Figura, Relationes, immediate prædicantur de Subje-
 ctis. Quantitas, figura, Relationes sunt accidentia ἀνεργητικῶς.
 B. Quæd. accid. ἀνεργητικῶς. immed. prædic. de Subject. IV. In quocunq;
 opere utraq; Christi natura agit quod suum est, id non requirit com-
 municationem Idiomatum Lutheranam. In opere redemptionis,
 utraq; natura agit quod suum est. E. opus Redempt: non requirit com-
 municat. Idiom: Lutheranam. Resp. ad I. per distinctionem, inter
 omniscientiam divinam, consideratam vel respectu Deitatis,
 cuius est propria; vel ratione Deificatæ carnis, cui fuit communica-
 ta. Valet minor de Omniscientiâ priori modo spectatâ, & sic
 largimur totum. Secus autem nisi res sese haberet cum Omniscien-
 tia divina, ex parte humanitatis, ut κτήσι quæ in primo cæpit incar-
 nationis momento, rectè discerneretur à plenaria ζήσι, quæ demum
 excepit exaltationem Christi ad dexteram DEI, qualis intercessisset
 status

Status? *Ἐπεινώσεως*; siquidē hoc durante *Ἐ λόγῳ* fuit, retrahere glo-
 riæ suæ radios, & Christi hominis, cū *ἐν μορφῇ Ἐ θεῶ* esset, non arbi-
 trari rapinam, *ἵνα ἴσῃ θεῶ*; sed suapte sponte se exinanire, & ser-
 vi formam assumere, h. e. divinæ Majestatis exercitio *ὡς Ἰπὶ πλείων*
 sese abdicare. Deinde actuari semper, vel respectu Divinitatis ipsius,
 Omnipotentiam (absolutam) falsum; cum multa hæc possit, quæ
 tamen nunquam efficit, etsi semper faciat (per omnipotentiam hypo-
 theticam) quæ vult Ps. CXV, 3. Ad II. distingvendo inter ades-
 sentiam *ἐνεργητικὴν, & ἀνεργητικὴν*. De hac concedimus Majorem,
 non autem sine jacturâ minoris. Abest enim non procul ab uno-
 quoque nostrum eo pacto, per omnipræsentiam suam, DEUS, ut in
 illo *simus, vivamus & operemur*, Act. XVII, 28. Ipseq; *omnia por-
 tet verbo virtutis suæ*, Hebr. I, 3. *πρωτοῖα* suâ *cuncta gubernet*,
 Sap. XIV, 3. *Dominetur in medio inimicorum suorum*, Psal. CX, 3.
 Ad III. distingvendo inter accidentia *propria, & κεινωπητά*. De
 illis conceditur minor, & Syllogismus totus. Aliter verò arbitran-
 dum de spiritualitate ac levitate, tanquam accidentibus corpori hu-
 mano, & ferro, aliunde communicatis, & quidem ad solam posses-
 sionem, ideò quod possideat, & in se contineat ferrum, substantiam
 per se levem, ignem, corpus humanum, substantiam naturâ spiri-
 tualem, animam, & simul omnia quæ illius sunt. Ad IV. li-
 mitando majorem: In quocunque opere utraq; CHRISTI
 natura agit quod suum est, *sine communicatione alterius*, id non re-
 quirat communicationem Idiomatum Lutheranam. Sic fallit Mi-
 nor. Nec confundit naturas, naturarumque proprietates
κεινωπιία, nec divellit. Utraq; fugienda, tam Eutychiana *σύγχυσις*,
 quàm Nestoriana *λύσις*. In exercendis apotelesmatibus mediatō-
 riis, non tantum à divinitate peraguntur, quæ divina sunt, ab huma-
 nitate, quæ humana: sed ut actiones prodeant *θεανδρικῶς, λέγοντες*
 carnem, tanquam instrumentum sibi intimè unitum, & ultra vires na-
 turæ suæ elevandum, adhibet: ac caro vicissim, Divinam *Ἐ λόγῳ*
 efficaciam participat: ideoq; idem Christus, tum divina opera ex-
 ercet *ἀνθρώπινως*, tum humana *θεϊκῶς*: Ipsoq; adeò tactu & allo-
 quio ægros valetudini, mortuos vitæ restituit; nec aliter mortem,
 quàm obedientissimè moriendo, devicit. Non sangvinem tantum
 F fudit

fudit humanitas: sed fudit hunc etiam in remissionem peccatorum, Matth. XXVI, 28. Unde ἰλασμός pro peccatis nostris dicitur I. Joh. II, 2. ac mundare nos ab omni iniquitate, I. Joh. I, 7. Quod opus est planè divinum Esa. XLIII, 25. Verisimè Athanasius serm. 4to contra Arianos; Quæ sunt propria verbi, ea quoque corporis ministerio peragebantur. Caro suo ministerio divinitatis operibus inserviebat. Et Dialogo quinto contra Apollinaristas: Sicut anima in corpore, sic Deus λόγος unitus homini edidit prodigia, non separatus à naturâ assumpta: sed placuit ei in eâ, cum eâ, & per eam potentiam suam Divinam exercere. Cyrillus de incarnat. unigeniti: Communes facit, tanquam cum suâ carne divinâ, suæ majestatis operationes, ut possit etiam vivificare mortuos, sanare infirmos. Et in cap. VI. Esa. In carne suâ planè divinisimam operandi virtutem habere certitur. Tactò siquidem loculo mortuorum, viduæ filium resuscitavit, & cum inspisset, luto inunctis oculis cæcis visum restituit. Commentator Damasc. Humana Christi actio, habet divinam virtutem co-effectricem, divina ejus actio habet humanam operationem, more conjuncti organi, cooperatricem. Atq; ita divina actio, non est expers humanæ, nec humana divinæ, sed divina Christi potentia utitur unionem, communicationem, & cooperationem humanæ Christi operationis, ad exercendam, implendam, absolvendam & perficiendam divinâ suâ in officii salvatoris operam sicut anima in corpore suas actiones operatur non sine corporis adminiculo, & corpus suas operationes absolvit ipsius animæ virtute & adjutorio. Calviniani quoties humanitatem Christi solo actunaturali, in commune ἀποτέλεσμα influxisse, contendunt, nec quicquam amplius ad miracula contulisse, quàm humanam vocem, & externum ministerium, indicem excellentissimi operis, non causam, vel σύμμετρον, sed tanquam instrumentum nudum, quid Deitas ἢ λόγος efficeret, auribus vel oculis hominum demonstrans, non absimile baculo Moysi, (vid. Danæus, in examine cap: IV. pag. 118. & cap: V. pag: 156.) duas CHRISTI naturas non ἑνωμένως, sed διηρημένως agentes comminiscuntur, & quantum in ipsis, hypostaticæ unionis vinculum dissolvere, Nestoriana dementiâ, allaborant. Nostratibus autem non plus intercedere commercii cum delirio Eutychnianorum & Monotheletarum, quam venerandæ Patrum canitici, qui in concilio Chalcedonensi Eutychetis hære-

fin.

fin damnarunt, ejusdem concilii edocet Canon: *Vtraq; natura a-*
git, cum communicatione alterius, quod suum est.

§. 7. Tandem concludit Gerhard: Si eorum, quæ realiter
sunt idem, communicato uno, necessario communicatur & alterum,
sequitur communicatâ per æternam generationem essentiâ Patris,
communicatam quoq; Filio esse ἡὐσεσιον Patris: Item communicatâ
ἡὐσεσιον ἔ λογῶν ab æterno genitâ per unionem, communicatum
quoque esse τὸ genitum esse ab æterno. Atqui falsum consequens. E.
& antecedens. Instat W'end. §. 47. I. Ecce, cædunt heic animad-
versores vineta propria! quam hoc loco repudiant, & inconsequentie
damnant rationem, supra contra me produxerunt, tanquam firmam
& solidam. II. Est apud Theologos Orthodoxos in confesso, minus
esse discriminis inter idiomata divina inter se, interq; eadem & natu-
ram, quam inter personam & essentiâ. Illud enim discrimen, quo-
ad rem ipsam in se consideratam, in nostris tantum conceptibus confi-
sit, hoc etiam absque nostris existit conceptibus. Vnde Personæ et-
iamsi ab essentiâ realiter haud differunt, tamen inter se, & à se invi-
cem realiter differunt: Idiomata verò divina, nec à se invicem, nec
ab Essentiâ realiter differunt ullo modo. Syllog. I. Quicumque eun-
dem Canonem jam recipiunt, jam rejiciunt, illi propria vineta cæ-
dunt. Lutherani eundem Canonem jam recipiunt, jam rejiciunt.
E. II. Quæcunque minus alunt discriminis inter se, quam essentiâ
divina & persona, illorum communicatio non æstimanda est è commu-
nicatione essentiæ & personæ divinæ. Idiomata divina minus alunt
inter se discriminis, quam divina essentiâ & persona. E. Resp. ad I.
limitando Majorem: Quicumque eundem Canonem jam recipiunt,
jam rejiciunt, eodem sensu, illi propria vineta cædunt. Sic negatur
Minor. Novimus triti Canonis: *Quæ realiter sunt eadem, eorum*
uno communicato, communicatur & alterum: tum sensum usumq;
Orthodoxum, tum abusum hæreticum. Breviter: Rectè ac ordi-
ne procedimus, à communicatione ἔ μετιχοῦς, ad communica-
tionem ἔ μετεκῆ realiter non diversi, cum participatum recipia-
tur à participante, & intimè includatur, hoc ratiocinio: *Quorum al-*
terum non differt ab altero τῶ εἶναι, sed tantum τῶ λογῶ, & qui-
dem ita, ut alterum ἕστας ἐνκα sit μετεκῆ, alterum μετιχοῦ,
F 2 eorum

eorum si hoc communicetur, ἐξ ἀνάγκης etiam communicabitur alterum. At vero ὑπόστασις ἔστι λόγος ab essentiâ divinâ, ἔστι essentialibus idiomatibus, non differt τῷ εἶναι, sed tantum τῷ λόγῳ, ita quidem, ut hæc sit τὸ μετὰ τὸν ἑστίαις ἐνεκεν, illa μετὰ τὴν ἑστίαις. E. si ὑπόστασις ἔστι λόγος realiter communicata est, ἐξ ἀνάγκης eidem realiter ἑστίαις ἔστι λόγος, ἔστι essentialia idiomata eius communicata fuerunt. Perperam verò extenditur axioma ad communicationem καὶ συνδύασιν eorum idiomatum, quæ sunt diversæ rationis, ut quædam existant ἐνεργητικὰ, quædam ἀνενεργητικὰ: quædam convenire possint naturæ alteri, (humanæ) quædam è diametro repugnant. Ad II. negando Minorem. Alia enim prorsus ratio est personarum divinarum, si conferantur inter se, ut oppositæ Relationes, quarum una nequit esse altera, ut nec Pater sit Filius, nec Filius Pater: Alia, si conferantur cum divinâ essentiâ, utpote de quâ persona nominus prædicari potest, quàm de personâ essentia. Ut rectissimè dicatur: Essentia divina, est Pater: Essentia divina, est Filius; Et contra, Pater, est Essentia divina: Filius, est Essentia divina. Quamobrem respectu priori, discrimen personarum sanè multò majus est, quàm attributorum, scilicet Reale, si non rigorosè, tamen per Analogiam ita nuncupatum. Ab essentiâ autem DEI æquè modaliter tantum personæ Divinæ differunt, quàm Idiomata.

§ 8. Zanchium, Sohnum, aliosq; Calvinianos, distinctionem Idiomatum in ἐνεργητικὰ & ἀνενεργητικὰ usurpasse, sensu non Luthe-
rano, dicit Wendel. §. 49. non probat. Deficiente probatione, quam assentiendi necessitatem nobis imponet? Differentiam inter infinitatem DEI, & omnipræsentiam, quam §. sequenti oppugnat, alibi tutati sumus.

IV.

QVOD NATURA HUMANA DIVINÆ
IDIOMATUM SUORUM MAJESTATEM ITA COM-
MUNICANTI, UT PROPRIETATES HUMANÆ NON
TOLLANTUR, SED EXTOLLANTUR, ET AMPLISSI-
MO HOC ADDITAMENTO SUMME PERFICIENTUR,
NULLAS REDDAT VICES, OMNIMODA EFFICIT
DIVI-

DIVINITATIS IMMUTABILITAS, TAM DEPRIMI
nesciæ, quam exaltari.

§. I.

ARgumentum Wendelini IV. est: Si humanæ naturæ realiter non potest esse unita divina nat. nisi divinæ nat. idiomata realiter sint communicata humanæ naturæ, sequitur divinæ quoq; naturæ realiter non posse esse humanam naturam unitam, nisi Idiomata humana realiter ei sint communicata. Atqui falsum consequens, E. & Anteced: Resp: Beat: Gerh: per negationem Majoris, cum scriptura humana Idiomata non tribuat divinæ naturæ, quæ ἀναλλοιώτως, βελτιώσται & ὑψωθῆναι non possit: Contra verò divina Idiomata tribuat humanæ naturæ, quæ perfici & exaltari possit. Instat Wendel: §. 55. Non magis divinorum Idiomatum capax humana natura, quam humanorum divina: Vt enim illa illā, sic ista istam, de statu suo dejiciunt. Non dicitur βελτιώσται & ὑψωθῆναι natura, quæ aboletur. Syll: Quicquid divinorum Idiomatum prorsus est incapax, id per communicationem illorum idiomatum non perficitur, sed aboletur. Natura humana, divinorum Idiomatum prorsus est incapax. E. per commune ill: Idio: non perfic: sed aboletur. R. fallere minorem. Ubiq; ἐνέργεια præsupponit δύναμιν. Haudquaquam igitur incapax omnino illius natura humana asserenda, quod ipso actu per ἐνοίησιν σωματικὴν παντὸς πληρώματι τῆς θεότητος, Col: II, 9. si spectes κτήσιν; per χάριν τῆς ὑπερυψώσεως, si plenariam cogites χεῖσιν, Philipp: II, 9. accepit. Non aboletur, per hanc βελτίωσιν, carnis veritas, sed abolet, quantum in se, ejusdem Antagonista, salutarem incarnationis fructum, sine præviâ participatione Majestatis ac potentia divinæ, à carne Salvatoris nullatenus expectandum.

§. II. Annotat adhæc Gerh: Sophisticè colligi à Wendelino; sic communicationem Idiomatum proximè non fluere ex unione personali, sed ex naturarum inæqualitate, cum non ignoret nos {cum scriptura & piis Patribus ex hac naturarū inæqualitate tantum in secundo communicationis genere negare reciprocam communicationē. Occidit Wend: §. 56. recitatis de discrepantiâ τῆς ἰδιωματίας, & μεταπτώσεως Lutheranorum, hoc est, sacrae scripturae mysteriis,

ἀκυρολογίας de passa mortuaq; divinitate Thummii & Svevorum. At cui bono? Abhorrere enim ab horum opinione Gerhardam ac animadversores, Wendel: paulò post fatetur §. 50.

§. III. An pii Patres cum scripturâ nihil norint de communicatione divinæ Majestatis, quod Wendelinus affirmat §. 57. Lectori è superioribus arbitrandum relictum esto. Non admittere magis naturam minus præstantem, hoc est, humanam, idiomata præstantioris, hoc est divinæ, quam præstantiorem minus præstantis, quod hic Wendelinus addit, unde probat? In promptu contra ratio effati Gerhardiani: fieri communicationem activam Idiomatum ex parte nature præstantioris, propria sua minus præstanti communicantis. Quia licet mutua sit duarum in Christo naturarum περιχώρησις, ideoq; nusquam ponatur, vel caro extra λόγον, vel λόγος extra carnem, verum ubiq; λόγος hodie sit ἐνσαρκῶς: facta tamen illa fuit ἂν λόγῳ solo, cum carnem assumeret. Quare solus etiam λόγος in hac περιχώρησι se habet ἐνεργητικῶς, instar ἐπιλεχέως, caro παθητικῶς, instar δυνάμειως. Λόγος repræsentat perfectivum; caro perfectibile. Idq; bellè declarat similitudo, quam ab ignito ferro Gerb: depromit. Ignis enim ferri proprietates non transumit, sed ferrum ignis proprietates assumit: sic humana Domini caro particeps facta est Deitatis, non propriam Deitati tradidit imbecillitatem.

§. IV Regerit Wend. § 58. Idiomata sua præcisè sic dicta, nec ferrum igni, nec ignis ferro communicat, eo præsertim communicationis modo, qui Lutheranis arvidet, ignicum ferrum mihi aliud nihil est nisi ignis, qui corpus mistum accensum est; igitur uti hoc simili Eustyches potuisset ad naturæ humanæ absorptionem declarandam. En novum παράδοξον Philosophicum, Calvinianis, dignum! Παράδοξον, inquam, quia ἔνδοξον, & in confesso apud Physicos, ignem esse Elementum, Elementum autem corpus simplex, constitutioni mixtorum à naturâ destinatum. Cui sententiæ tam diu immorabimur, donec firmis rationum momentis everfa fuerit & arietata. Pythagoricum illud: αὐτὸς ἔφα; nobis utramq; paginam non conficit.

§. V. Censoriam virgulam, quam Wendelinus adhibet §. 59. contra

contra beatum Schröderum, minus rectè, scribens, dicuntur unita ignis & ferrum candens (seu ignitum) Qui enim ferrum ignitum dicit, is ignem & ferrum περιχωρήσει unita intelligit: Ex igne & ferro est ferrum ignitum, non ex igne & ferro ignito. Uti ex anima & corpore est homo, non ex anima & homine: Ni Zoilinæ pastu & saginà supra modum sibi delicias faceret, cohibuisset. Identificatur quidem ferrum candens cum ignito, materialiter: hoc est, omne ferrum candens, est ignitum: Et contra, omne ferrum ignitum, candens: Non autem formaliter, hoc est, sub unâ eademq; denotatione. Ignitum enim ferrum à substantia, igne, denominatur: Candens autem à qualitate, calore: Sicuti & aërem, iamò diem dicimus candentem, quem solis æstus incendit, sine mutuâ περιχωρήσει ignis & aëris, aut ignis & diei. Nec rectè applicatur simile ab animâ & corpore sumptum. Ex anima sanè ac homine, non componitur homo; Verum cur non liceret hominem dicere compositum, ex animâ & animato corpore? In Syllogismo Schröderi: Si ferrum ignitum verò & taliter lucet, aut lucet luce sibi per naturam insitâ, aut luce ab igne in ipso producâ, aut deniq; ipsius ignis in ferro existētis luce propriâ καὶ ἐν τῷ ἰσχυρῷ in ferro communicatâ. Atqui verum prius. E. & posterius: Connexum Wendelinus negat, & quartum dat membrum: Aut lucet ignis in ferro existentis luce propriâ, ferro non communicatâ, sed cum igne unitâ: rejecta sententiâ Calvinianorum vulgari: lucere ferrum ignitum, per lumen ab igne productum; inscitè sibi opponendo quæ sunt subordinata: Quandoquidem communicatio lucis igneæ, in ferro ignito, ex unione illius cum ferro fluit, tanquam effectus à sua causa. Sicuti omnis unio suppositalis, ad unum per se constituendum directâ, præter communem unius termini possessionem, κοινωνίαν infert tum actionum, tum potentiae activæ. Quemadmodum enim terminum, ad quem res unitæ tendunt, præbet unum ὁρισμένον: Ita si κατ' ἀνάγκην oculorum aciem ad res unitas emittamus, patebit, illum non alterutri unitorum, sed utrique unitorum esse communem, cum in eo utrumque unitorum permaneat. Sicuti in hoc supposito, quod dicitur ignitum ferrum, tam ferrum datur, quam ignis. Porro ut ex duobus actibus (tanquam incommunica-

bilibus

bilibus) nunquam fit unum actu per se. *Scal: Exerc: VI. Sect. 5.* Sic
 quoties ad unum per se constituendum concurrunt ἐν πλέξεια &
 δύναμεις, toties infertur mutua περιχώρησις, quâ actus potentiam in-
 timè pervadit, eandem perficiendo, ac in statum sublimiorem eve-
 hendo, idq; non sine communicatione proprietatum. Posita quip-
 pe unitate suppositi, nil agit unitorum nobilius, quin toti supposito
 ἐνέργεια adscribatur. Agit enim non διηρημένως, sed ἠνωμένας,
 cum participatione alterius, ob reciprocam συνδύασις. Quomodo
 ignitum ferrum nec tantum urit, nec tantum secat: verum & secan-
 do urit, & urendo secat. Prærequirit autem communis operatio
 communicationem virtutis operandi, quia ἀδύνατον, ut uspiam
 reperiat actus secundus sine primo. Hinc *Suidas & Phavorinus:*
 Ἐνωσις ἐστὶ συνδρομὴ κοινωτικὴ τῶν διεσώτων πραγμάτων. Quæ
 cum ita se habeant, versat (quod verbum *Wendelino* hic arridet) *Wend:*
 ferrum cadens, *Beatus Schröderus*, ad declarandum aliqua similitu-
 dine, monstrata à Salvatore ipso Apoc: I, 15. dum pedes ejus, spe-
 ciem æris candentis præ se ferunt, sublime hoc mysterium, in quod
 etiam supramundanorum spirituum chorum juvat παρακύψαι
 1. Pet: I, 12. non minus indemnis, ac veteres illud in innocentia
 suæ signum impune contrectare consueverunt. Idq; juxta
 χειραγωγίαν *Basilii* in homilia de Nativ: Christi: *Sicut ignis ferri*
proprietates non transumit, sed ferrum ignitum splendidum fit non
nigrefaciens ignem, & ipsum inflammatur, non frigefaciens flam-
mam, sic sanè etiam humana Domini caro ipsa particeps facta est Dei-
tatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem. An
forfan non concedes, Deitatem hoc posse efficere, & præstare in propria
assumpta carne, quod ignis hic mortalis potest in ferro? Eat nunc
Wend: & ignitum Schröderi ferrum prorsus extinguere cavilletur.

§. VI. Ad Argumentum *Gerh:* Si ut humana natura participat
 idioma τῆς λόγῃ, seu divina natura, ita quoq; λόγῳ participaret
 humana natura Idioma, aut participaret ea à quibus persi-
 ceretur, aut ea quibus evaderet imperfectior. Atqui nec
 hæc, nec illa. E. non ut humana natura participat &c. Reponit
Wend. §. 60. Communicatio Idiomatum ex unione hypostaticâ orta,
in scriptura est nulla, nisi reciproca, quâ Deus sibi vindicat Idioma
humana

*Humana natura omnia, non obstantibus eorum imperfectionibus, & ho-
 mo natura divina Idiomata omnia, non obstante summâ eorum perfectio-
 ne & immensitate. Vnde ut propter naturam & Idiomata humana Deus
 est homo: Ita propter naturam atq; idiomata divina, homo est Deus: Et
 hæc communicatio Idiomatum est in Personâ. At Scripturam, præter
 ἰδιωματικὰν etiam κεινοποιικὰν de Christo tradere, & μεταποιικὰν, quarum
 neutra ad Personam pertineat, sed utraq; sit naturæ, sive alterus, ut hæc,
 sive utriusque, ut illa, nec communicationem tantùm de concreto,
 verùm etiam de abstracto Naturæ humanæ, Johan: VI, 51. & I. Johan:
 I, 7. è dictis constat. Damasceno, lib: 3. de O. F. cap. 4. ἐξωτερικῶς
 loquenti: ἕως ἐστὶν ὁ τῶν ἀντιθέσεων, ἐκατέρωθεν φύσεως ἀντιθέσεως
 τῆς ἐτέρωθεν ἰδίας, ἀλλὰ πῶς τῆς ὑποστάσεως ἑαυτῆς; Opponimus Da-
 mascenum loquentem ἀκρεβέστερος eodem libro cap. 15. τῶν μὲν ἐν
 οἰκείων ἀνχημάτων ἢ θεότης τῶ σώματι μεταδίδωσιν, αὐτῆ δε τῆ σαρ-
 κὸς παθῶν διαμένει ἀμέτοχος. Rationem attulit antecedente cap.
 7. sciendum, quod etsi invicem immeare naturas dicimus, tamen sci-
 mus ὡς ἐκ θείας φύσεως ἢ περὶ χωρήσεως γέγονε. Quod de περὶ χωρήσεως
 hypostaticâ valet, idem quoque ad personalem communicationem Idio-
 matum applicandum. Conf. Athanasium in Epistola ad Epictetum,
 nec non Augustin. contra Felicianum cap. X. Item Cyrillum in Johan.
 Lib. IV. cap. XXIII. ut & Eusebiam Lib. IV. cap. XIII. præter Leonem
 primum Epist. XXII.*

§. VII. Alterum Gerh. Syllogismum: Si idcò, quia humana na-
 tura per unionem divinæ & λόγῳ naturæ nil communicat, nec λόγῳ
 quicquam naturæ humanæ communicat, sequitur ne dona quidem creata
 & excellentia atque incredibilia carni esse collata: Quia naturæ divinæ
 ab humanâ nihil tale est collatum. Atqui falsum conseq. E. & anteced.
 Wendel. §. 61. concedit. Perperam autem rursus dum conqueritur,
 fallam hîc supponi, sibiq; affingi hypothesin: Ab humanâ naturâ plane
 nihil conferri λόγῳ, & à λόγῳ vicissim nihil nat. humanæ: Quod λόγῳ
 non aliunde habeat, ut sit homo, quàm à naturâ humanâ: confundit
 concretum cum abstracto, λόγον cum naturâ τῆς λόγῳ divinæ. Etsi
 enim λόγῳ homo sit, recteq; dicatur, propter humanitatem personali-
 ter sibi unitam: edisere tamen, sodes, quidnam illud sit, quod ab huma-
 nitate acceperit, divina τῆς λόγῳ natura? Immotæ veritatis est axioma
 Theologicum: Assumentis est dare, assumpti accipere. De persona

G

& λόγῳ




τῆ λόγῃ Augustinus ait: *Hominem accessisse DEO. Ut ὑπόθεσις ante ἐνοσίρκων simplex, post incarnationem facta fuerit σύνθεσις*, ut ex Nazianzeno Damascenus loquitur, hoc est, in duabus naturis subsistens: natura autem ἡ λόγῃ Divina, nec amittere quicquam, per hypostaticam cum carne unionem, quod prius habuerit, nec novi aliquid, quod antea non habuerit, siue majus siue amplius, sortiri potuerit, ob omnimodam immutabilitatem, Malach III, 6. *Ego Jehovah. & non mutor. Ps. CII, 27. Cæli peribunt, tu autem permanes, mutabis eos & mutabuntur: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Jacob. I, 17. *Aquæ Patrem luminum non est ἀλλάγη, ἢ προσῆς ἀποσκίασμα.* Quinpotius divinitas ἡ λόγῃ, quod non fuit, in tempore ita assumpsit, ut qualis ipsa existit ante unionem ab æterno, talis manserit in unione, & mansura sit in æternum, post unionem. Adhæc expendendum penitus Calvinianis, solam charismatum habitualium communicationem, à naturâ Christi divinâ, in humanam deducuntibus, committitur: Annon, vi hujus ὑποθέσεως, naturarum introducatur divulsio, & omnis tollatur incarnationis necessitas. Prærogativam enim *χαρισμάτων*, quæ humanæ Christi naturæ, præ aliis sanctis, obtigit, saltem fingunt gradualem: Gradus autem distincti, siue magis & minus, speciem non variant. Cur igitur tali prærogativâ donare humanitatem Salvatoris, & in hanc plenâ congerere manu, cum gradu eminentissimo, quæ sparsim, & cum gradu remissiori, in sanctos alios fuerunt erogata, divinitas nequiret, utut illam in unionem hypostaticâ non assumeret? Siquidem ad hanc sufficiat unio *ὑπερβαλῆ*, qualis divinitati cum sanctis reliquis intercedit. Imò si sectandum πρὸ ἀκέραιον, *χαρίσματα* habitualia, à naturâ divinâ planè non communicantur, licet dari possint alteri. Communicat enim unumquodque id saltem alteri, quod formaliter in se continet. At nihil inest naturæ divinæ, quod nō sit divinum, infinitum, & increatum.

§. VIII. Colligente ulterius B. Schrödero: *Si assumptæ humanitatis πύθη assumenti λόγῳ realiter sunt communicata, sequitur quoddam proprium unius subjecti alteri subjecto, per naturam diverso, καθ' ἑωσιν realiter communicari. At verum antecedens, E. & consequens.* Excipit Wendel. §. 62. *Assumens λόγῳ si Schrödero est persona, in duabus subsistens naturis, divina & humana, nos adversarios non habet: Nam & nos Idiomatum admittimus communicationem, quâ utriusque naturæ propria personæ σύνθεσις sunt communia & realissimè communi-*

casus

*cata, verissimè & realissimè Deus ex Mariâ virgine natus, passus, cruci-
 fixus & mortuus est: Non tamen secundum divinam, sed secundum hu-
 manam naturam, seu in carne, neque dissentit cum ἀλλοίωσι suâ Zwin-
 glius, quem iniquissimè exagitavit Lutherus, eiq; larratam affinxit ἀλλοί-
 ωσι, qui nullam nisi Patribus Orthodoxis probatam agnovit. Scilicet!
 Zwinglio quid ἀλλοίωσι sit, jam suprâ percepimus, desultus nempe &
 transitus ille, quo de alterâ in Christo naturâ loquentes, alterius vocibus
 utimur, ut Caro, quæ propriè est naturæ humane, per ἀλλοίωσι ponat-
 tur pro divinâ naturâ. Tom. 2. oper. fol. 350. Et contra, audito nomi-
 ne DEI, pro nobis passi, & crucifixi, concipienda sit sola natura huma-
 na, cui passio & crucifixio competit tanquam proprium, non ut aliquod
 κεινωσιν. Quamobrem quæ literæ sacræ connectunt, in prædicatio-
 nibus de Christo, per lineam rectam, tropus Zwinglianus intelligere ju-
 bet, juxta obliquam, & transversalem, ut in hoc schemate videre est:*



Quo pacto tam Filius DEI, de quo dicitur, quod sit DEUS, quàm Ho-
 mo, de quo enunciatur, quod Homo sit, manet peculiaris quædam per-
 sona. Atqui nobilior quidem persona, Creator est cœli & terræ, omni-
 potens &c. Ignobilior autem nascitur, patitur, moritur, ascendit in cœ-
 lum. Illa, divinâ gaudet Majestate, & gloriâ: Hæc, non nisi creatâ po-
 tentiâ & scientiâ pollet: prorsus inciso nexu unionis hypostaticæ, inter
 divinitatē & humanitatem ἡ μεσίτη καὶ ἰκέτης nostri. Confer *Consens.
 Orthod.* pag. 18. & 122. *Admon. Neostad.* pag. 70. & 250.

V.

**RATIONEM COMMUNICATIONIS IDIOMATUM,
 ΚΑΘ' ΕΝΩΣΙΝ ΚΑΙ ΣΥΝΔΥΑΣΙΝ, CLARISSIMO DO-
 CET EXEMPLO, PRÆTER IGNITUM FERRUM, ETIAM
 ANIMATUM CORPUS.**

§. I. Restat ultimum Wendelini Arg. numero V. *Idiomata divina
 naturæ humanæ nec per μέθεξις, nec per συνδυασιν communicantur. E-
 planè non communicantur sensu Lutherano.* Respondente B. Gerharde
 per infic. Anteced. & monstrante communicationis καὶ τῶ συνδυασιν,
 inter naturas unitas, possibilitatem, à Wendel. negatam, exemplo vitæ;
 Addente tamen illud admonitionis protelum, citari hæc ad comitia vi-
 tam non accidentalem, seu actum vitæ secundum, sed substantialem seu
 actum



actum primum, juxta quem aliquid essentialiter vivum nuncupetur, atq; hunc *πρώτος* competere animæ, *δεύτερος* animato corpori: Instat *Wendel. §. 65.* Quid intelligatur per vitam substantialem, ita non explicant, ut dubitationis scrupulum eximant. En stuporem, sive affectatum, sive justo DEI judicio immisum Philosopho aliàs sat subtili & acuto. Dictum à Gerharo: *Vitam substantialem esse actum primum, secundum quem aliquid essentialiter sit vivum.* Quam Cimmeriis autem ignorantia tenebris ejus involvi mentem oportet, qui nondum capit, quid sit actus primus, isq; substantialis. An latebunt talia Tyronem, qui à limine salutavit Metaphysicam? Arguit sanè difficultatem nonnullam, τὸ εἶναι vitæ plenè ac scientificè cognoscendi, ingens definitionum varietas. Ut quænam vitæ ratio sit, etiam lumina clarissima vix balbutiendo efferant, conficente acutissimo Dn. *Sperlingio*, nunc *μακροβίτη* Institut. Phys. lib. 7. cap. 2. Non profus tamen de legitimâ definitione desperandum. Discere hanc *Wendelinus* potuisset è laudato Authore, quem bis exercitatione hac allegat, eodem loco ita sonantem: *Vita, est actus corporis naturalis viventis, esse, & operationes vitales, huic communicans.* Quacum in eundem sensum concurrat *Magiri* ista Physic. lib. VI. cap. IV. *Vita, est animæ, ejusq; organi corporis, per conjunctionem & unionem utriusq; actus & vigor.* Et illa *Marsili Ficini* in Platon. Philos. lib. XII. cap. 4. *Vita, est actus continuus animæ, transfusus in hujus corporis complexione, ab animâ non recedens.*

§. II. Instat *Wend.* si per vitam substantialem intelligatur substantia propriè dicta, erit ea vel corpus, vel anima, vel compositum ex anima & corpore. Quodcunq; horum acceperint animadversores, exemplum communicationis suæ habebunt nullum: Imò planè exspirabit notio & ratio idiomatis. Nam si vita substantialis est ipsa anima, utique non erit Idioma animæ, si est ipsum corpus, non erit idioma corporis, &c. Ipsa se conficiunt hæc absurda. Resp. Distingvantur distingvenda, & exspirabit absurditas. Discernatur 1. vita formaliter sumpta, à vitâ materialiter accepta. 2. Idioma *ἰδιώτης*, ab *ἐπιἰδιώτης*. Formaliter vita substantialis, modus est, adeoq; ab animâ aliquid diversum. Quia v. modus hic animam afficit, non minus cum anima materialiter identificatur, quam attributa entis conjunctiva, unitas, veritas, bonitas, ita differunt, qua rationes formales, ab ente, ut materialiter tamen cum ipso sint ταυτό. Ac proinde proprium est animæ *ἰδιώτης*, vita substantialis: *ἐπιἰδιώτης*, accidentalis, h. e. vitalis operatio. *φυσικώτης*, quæ de vita admittet adversarius, cum primis contra B. *Schroderum*, tanquam *ἐπιἰδιώτης* in locum rejicimus commodiorem.

E P I M E



EPIMETRUM.

*Condemnare tum Doctrinam hereticam, tum pertinaces illius
hyperaspistas, suis etiam nominibus designatos, decet.*

U Surpatur aliquoties, in Formulâ Christianæ Concordiæ, vox *Con-
demnationis*. Bilem hoc vehementer movet *Calvintanis*, ut imma-
nis tyranidis dicam Nostratibus scribant. Condemnare enim,
judice *Hospiniano*, nihil est aliud, quàm igni & aquâ interdicerere: *Stur-
mio*, Rhadamantæam ferre sententiam in errantes, eosq; Magistratui
politico persequendos, mactandos, trucidandos, excarnificandos tradere.
Ad cuiusmodi praxin Busyride dignam, *Joannem Casimirum, Electorem
Palatinum, exstimulatum* voluit, contra Lutheranos, valvis templi Hei-
delbergensis, Anno 1584. affixum Distichon:

O *Casimire potens, servos expelle Lutheri,
Ense, rotâ, ponto, funibus, igne neca.*

Quid vero intelligat per *Condemnationem*, & quousq; illam ex-
tendi cupiat Formula Christianæ Conc. præfatio clarissimè docet pag.
14. Hic nempe discernere jubemur *pertinaces hæresiarchas ab integris
ecclesiis, seductores à seductis*, qui vel per simplicitatem, vel per ignoran-
tiam in errorem quendam prolabuntur. Hos, quam diu spes aliqua corre-
ctionis affulget, fovere, rectiusq; informare partium nostrarum est,
cum constet non rarò Auditorum corda puriora esse linguis Doctorum.
Illorum autem quisquis causam orat, in jus unâ eademq; operâ vocet
necessum est, aut Palæmonis miniatâ cretâ notet Apostolum, tantâ se-
veritate damnantem singulos promiscuè Evangelii novi autores, hoc
est, veri & æterni corruptores, ut neq; seipsum, neq; Angelum de cælo
talia moliturum, exceptione donet Gal. I, 8. 9. *Licet nos, aut angelus
de cælo, evangelizet vobis præter id quod evangelizavimus vobis, ANA-
THEMA sit. Sicuti prædiximus, & nunc iterum dico; Si quis vobis evan-
gelizaverit, præter id quod accepistis, anathema sit: Necnon Johannem
Baptistam, ita alloquentem Phariseos: Progenies viperarum, quis de-
monstravit vobis fugere à ventura ira; Matt. III. 7. ipsumq; simul Sal-
vatorè, hæc pronunciantè de impiis Judæis: vos ex Patre diabolo estis; Joh.
VIII. nec semel VÆ suū, de Pharisæis ingemnantè Matt. XXIII. Idq; du-
plicem ob finem, ἐπινοῶν ἰωαννῶν, concernentem errantes, ut ad mentem
saniozem revocentur, summopere commendatum Jac. V, 19. *Fratres, si
quis erraverit à veritate, & convertet quis eum, sciat quod salvaverit a-**


nimam ejus : & παιδευτικὸν ac διδασκαλικὸν respicientem γνησίως ac
generosæ simplicitatis Christianos, ut ejusmodi blasphemiarum errorum,
que portenta supra pestem fugiant. Complectitur proinde ἀνάθεμα,
vel condemnatio pertinacis & incorrigibilis hæretici, in foro Theologi-
co, per arma militiæ nostræ spiritualia, tria, 1. severissimam accusationem
Es. LVIII, 8. Clama in gutture, ne ceses, tanquam tubam exalta vo-
cem tuam, annuncia populo meo prævaricationem. 2. solidam Sophi-
smatum refutationem, cum teneatur Theologus quisq; ἀποσομίζειν τῷ
ἀντιλέγοντι, Tit. I, 2. 3. justam pænæ denunciationem Ps. LXIX, 29.
Deleantur è libro viventium, & cum justis non scribantur. Qui vero
inclamare & arcere lupum ovile Domini ad orientem, hortari gregem,
ut à toxicis animæ venenis sibi caveat, atq; excubias agere pro illius salu-
*te ac emolumento renuunt, hos Scriptura detestatur *Speculatores cæcos,**
canes mutos, Pastores nihil intelligentes, Es. LVI, 10. II. Ad hos quoq;
*accomodandum fulmen Jer. XLVIII. *Maledictus, qui opus Domini facit**
negligenter. Ceterum pertinacium & incorrigibilium hæreticorum,
numero neq; Calvinianos omnes excludendos esse, quin potius variis ari-
etibus fundamentum fidei, per doctrinam illorum concuti ac everti, ut vix
*meliori commate censerī mereantur, quam Pontificii, de quibus *Par.**
in Comm. Super Cap. I. Epist. ad Gal. Nos totum papatum meritò re-
probamus, in quo non paucis vel modicis nævis, sed innumeris funda-
mentalibus erroribus, superstitionibus, hæresibus, totum Christi evan-
gelium adulteratum est; affatim evictum à Nostratibus alibi. Vid. Refu-
tatio Irenici Paræani edita à B. Huttero, De fundam. Dissensu Luther. &
Calv. B. Hunnius, De Calvinismo irreconciliab. B. Hülsemannus, Dispu-
tatio itidem de Elencho Nominali a Magno nostro Krakevitzio habita-
anno 14. & citata à B. Gerh. T. VI. p. 434. Itaque ut Atheismum,
*redolet stipulatio *Basilii Camateri,* ad consequendum Patriarchatum,*
Constantinopolitanum; Omnia quæ Imperatori placerent, se execu-
turum, & quæ displicerent, studiosè averfaturum, referente Camer. p. 3.
oper. succif. c. 6. Sic perjurii reatum incurrit Theol. D.
qui cum prius juramento se Formulæ Chr. Conc.
adstrinxerit, postea vocationem amplectitur, quâ
condemnare Religionē Calvinisticam prohibetur.



Restaurierung
H. D. Lomp
36110 Schlitz







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

THEOLOGICA

CE DIVI
CHRISTINA-

TATICÆ UNIO-

Ω COM.

TA,

ARDO,

CITATIONEM LIII.

te gratiâ,
m Academiâ,
ultatis Theologica,

DE

LAGO,

& P.P.

m proponit

Segebad/

l. Studiosus.

is Anno MDC. LXII.

ALDIÆ,

cademiæ Typographi.

*Memorandus Respon-
dentis ad verbum
disput. pertinet. Pra
missum autem est
soli Typographi soli
typographi assu, quo
titulum specialem
certa disputatio in
generalem mutavit
communem, cum
tamen qualibet possi
sit suam peculiarem
habere respicientem*

19

